



Dissent. 42 1/22


z


**Nicht ausleihbar**

**ULB Düsseldorf**



+4169 860 01





2

Dissert. 42

z.

LANDES-  
UND STADT-  
BIBLIOTHEK  
DUSSELDORF

Dissert.  
1/1 G.C. S  
calumnia  
2/1 Egidium  
germanic  
3/1 Hamm  
coadjutor  
4/1 G.C. S  
5/1 Egidium  
6/1 Egidium  
7/1 P.S. ab  
8/1 G.C. S  
medic  
9/1 G.C. S  
10-11/1 G.C. S  
12/1 J.C.  
duplex  
14/1 G.C. S  
catis  
15/1 P.S.  
berten  
16-21/1 G.C. S

Dissertationum Vol. 42.

- 1/ G. C. Sellar, repetit. Discursiva de juramento calumnie.
- 2/ Ejusdem, propos. ex vario jure, Dialecto vetere germanica et re numismatica.
- 3/ Hamm et Wirtz / sub pras. / J. M. Dumont, De coadjutoribus et circa eas in germania
- 4/ G. C. Sellar, ex vario jure, hist. Are numism.
- 5/ Ejusdem, de christiano paschate e.
- 6/ Ejusdem, de justitia et justis e.
- 7/ P. J. ab Anellman, de decimo aliore Denario.
- 8/ G. C. Sellar, ex vario jure et spinosis rei nummarie medicari amoenitatibus.
- 9/ G. L. de Bridoul de fidejussoribus.
- 10-12/ G. C. Sellar, Exercitia jurid. ex vario jure.
- 13/ J. C. F. Engel, judicio temporis nota, polis. duplex e.
- 14/ G. C. Sellar, de postulando, sive de advocatis causarum.
- 15/ P. J. Coenen Diss. Diplomatica in Dagobertinum Horreense.
- 16-21/ G. C. Sellar Exercit. jur. ex vario jure

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*

REPE

Con

Ad

PLURIMU  
CONS

D. GEO

J. U. D., &  
tissimi Princip  
rio ecclesiastic  
ceburgensis A  
per Imper  
Insignis

Ss. Canon  
Profess

JOSEPH

Treviris in

Augusta



1 71/1200  
L2

# REPETITIO DISCURSIVA

Cap. I. X. de juramento calumniae.

## PARS PRIOR

Continens expositionem critico-theticam,

Unà cum Parergis

Pro Exercitio

Ad diem 30. Augusti ab horâ 9. usque ad 11.

PRÆSIDE

*PLURIMUM REVERENDÓ, PRÆNOBILI, CLARISSIMO,  
CONSULTISSIMOQUE VIRO, ac DOMINO,*

**D. GEORGIO CHRISTOPHORO  
NELLER,**

J. U. D., & ad Doctoratum Ss. Theol. admissó, Eminen-  
tissimi Principis Electoris, & Archi-Episcopi Trevirensis Consilia-  
rio ecclesiastico actuali, Vicariatûs, & Consistorii Episcopalis Wir-  
ceburgensis Assessore pariter actuali, Ss. Cæsarearum Majestatum  
per Imperium, & Ditiones Austriacas, Comite Palatino,  
Insignis Collegiatae Ecclesiae ad S. SIMEONEM Tre-  
viris Canonico Capitulari, Syndico,  
& Bibliothecario,

Ss. Canonum in almâ, & antiquissimâ Universitate Trevirensi  
Professore publico, ejusdemque, & inclytæ Facultatis  
Juridicæ Assessore,

*Prænobilis, & Ornatissimus Dominus,*

**JOSEPHUS WILHELMUS REULAND, Trevir.**

Jurium Candidatus.

Treviris in Auditorio juridico majore vici Tetradiani.

Anno MDCCLVIII.

*Augustæ Trevirorum, apud J. C. ESCHERMANN.*





# REPETITIO DISCURSIVA

Cap. I. x. de Juramento Calumniæ.

§. I.

*Ingressus, & distributio hujus repetitionis.*

1.



Octor. Difficile nuper *in examine* rigoroso sorte tibi obtigit Capitulum, nempè 1. *de juram. Calumn.*, Domine Candidate laureæ : *Candidatus*. Primâ facie non credidiffem, sed expertus sum. D. re-

A

spon-

spondisti ad dubia ultra expectationem. C. Quoniam nunc plus otii fuit, quàm tunc, cùm illud pro specimine intra 24. horas, unà cum lege ex codice, repetere, ac syllogisticè defendere jubebar, studui haec nunc per octiduum illi magis enucleando. D. Et ego, evolendo desuper *veteres*, & *novos*, ut possim nunc de thesauro meo proferre nova, & vetera; quare, cùm hodie *dies justinianæus* sit, quo liber sum lectionibus, veni, concludamus nos *in bibliothecam S. Simeonis*, ne quis nos turbet: ibi præstò sunt codices manuscripti, & impressi, quibus utamur. Feci quoque expressè mihi afferri diversos libros *ex bibliothecâ almæ Universitatis*, ut necessaria habeamus in promptu. Erit autem nostræ *repetitionis discursivæ ordo* sequens:

2. 1mò. Sistemus textum, ejusdémque veros conditores.
- 2dò. More consueto repetentium, distribuemus eum in suas partes, sistendo in fine *casum longum*.
- 3tiò. Explicabimus textum de versu ad versum.
- 4tò Ponemus *casum brevem*, sive *punctum*, & *thema principale* textûs, ac super eo in formâ disputabimus.
- 5tò Recensëbimus, quæ subsequenter acciderint contra observantiam hujus Capituli.
- 6tò. Demum colligemus, exemplo glossæ, notanda bona grana ex hoc textu.

Ap-

Apparebit  
nimèqu  
lum, fi  
nirè

Sistitur

3. C. Inscr  
que numer  
aliquibus  
D. Tribu  
XVII. Ga  
lum in V  
est præcl  
est Hom  
sis, po  
nicisub  
creale  
sextæ,  
primi  
rum dec  
minatus  
volumin

Apparebit in decursu, quàm sit dubiis fœcundum, minimèque sterile ad doctam altercationem hoc capitulum, super cuius intellectu fundamentali interpretes mirè torquebantur.

§. II.

*Sistitur textus, ejusdémque veri conditores.*

3. C. Inscribitur *Honorius* Papa, in multis codicibus *absque numero*, an sit I. II. III. vel IV.? in plerisque III. in aliquibus II.; cui ergò *Honorio* tribuetur hæc decretalis? D. Tribuit eam *Honorio* III. doctissimus mediæ Sæculi XVII. Gallus, *Immoentius Cironius*, qui præter *paratitlam in V. libros decretalium Gregorii IX.* commentatus est præclarè *quintam compilationem de approbatis*, quæ est *Honorii III.* Tribuit quoque P. *Guenois*, Bituricensis, pag. 475. ejus indicis, quem corpori juris canonici subjunxerunt *Pithæi* fratres, ubi recensentur illæ decretales *Honorii III.*, quæ insertæ fuerunt *compilationi sextæ*, nempe *Gregorii IX.* Econtrà mox dicti *Pithæi* imprimi fecerunt: *Honorius* II. Et in compilatione variarum decretalium, quam Bartholomæus *Laurens*, cognominatus *Poin*, manuscriptam, compactamque eodem volumine invenit cum Concilio Lateranensi III. sub *Ale-*

*alexandro III.*, & hâc unâ ex ratione, quòd pleræque illæ decretales essent ejusdem Alexandri, *velut appendix ejus Concilii* imperitè typo eodem edidit, licet penitùs non appertineat, sítque *Antonio Augustino* compilatio *Alani*, secunda de *non approbatis*, ordine confusissima titularum; in hâc, inquam, MStâ compilatione *parte XXIII. Cap. 1.* reperitur hæc *Honoriana* decretalis, unâ cum *Cap. 2. 3. 4. & 5. h. t.* sub inscriptione: *Honorius II.* Vid. HARDUIN. Tom. VII. Concil. pag. 1796.

Et meritò;

4. Nam *Honorius III.*, qui cœpit sedere an. 1216., non potuit condidisse decretalem, quam suæ jam *compilationi*, quæ communiter appellatur *prima*, inferuerat *Bernardus CIRCA*, Præpositus *Papiensis*, paulò antè annum 1190. Hinc etiam est, quòd hoc capitulum non reperiatur in *quintâ compilatione*. Tu igitur adscribe hunc textum *Honorio II.* Bononiensi, qui vocabatur antèa *Lambertus de Fagnano*, & factus est Papa anno 1124. *Otto Frising.* lib. 7. cap. 16. Sedit usque ad an. 1130. Hoc suadet *ordo capitulorum* hujus tituli: sicut enim in *Codice Justiniano* leges ponuntur *secundùm tempora Imperatorum*; ità in *decretalibus Gregorii IX.* capitula *secundùm seriem Paparum*: absolum fuisset, primo loco ponere

nere hanc decretalem *Honorii III.*, tertio *Eugeni III.*, quinto *Lucii III.*, sexto *Innocentii III.*; nam hi omnes antecesserunt *Honorium III.* Vid. GONZALEZ ad hoc Capit. verbo : *Honorius*, PITHOEOS *ibid.* in notâ marginali, restitutoriâ veræ inscriptionis.

5. C. Evolvamus, quæso, tres codices Decretalium Gregorii IX. MSS., qui hîc stant ante nos, ut videamus, qualem *Honorium* habeant? Ecce, Domine, omnes uniformiter habent *Honorium III.*! D. Ità profectò est, ut ais : habent eundem similiter omnia nostra impressa antiquiora; sed legas modò, velim, crisin marginalem in uno illorum MSS. codicum, quam manus Sæculi XV. minutis literis apposuit : nōne correxit : *Honorius II.*, addendo rationem bonam : *hæc decretalis longo tempore præcessit Honorium III.*? Audi quoque ex antiquis *Joannem Andreæ* hîc : *superscriptio, quæ dicit : Honorius III., falsa est; quia longè ante tempora Honorii III., qui fecit quintam compilationem, fuit hæc constitutio, quæ fuit in primâ compilatione.* Imò testatum facit notator post *Can. 22. XXII. q. 5.*, quòd hoc capitulum, unà cum constitutione novâ *Henrici*, jam haberetur in uno quodam vetusto exemplari *MSto Decreti Gratiani.* Et ipsæmet *Honorii III.* decretales aliæ, quas ei tribuit *P. Guenois*, te convincant, nostram decretalem non esse illius; cùm

- reliquæ universæ existant *in suo ordine chronico* : cur enim hoc unicum capitulum staret *extra suum locum*, si esset decretalis *Honorii III.* ? C. Sed nunquid *Honorius II.* etiam condidit capitulum *2dum* h. t. ; quia inscribitur : *Idem* ? D. Iterum hîc erratum est tam *in MSS.*, quàm in nonnullis *impressis* exemplaribus : dele, & scribe : *Eugenius III.*, sicut correxerunt *Pithoei*, & tenet *MStum primæ compilationis* : nam in totâ compilatione sextâ non est ultrâ aliqua decretalis *Honorii II.*, licet hic diversas scripserit epistolas, quarum unam inquire in *Tomo I. Bullar. magn. pag. 33.*, alias verò duas in *Tomo IX. pag. 15.* *HARDUINUS Tomo VII. Concil. septem* exhibet.
6. C. Ad quem ergò direxit hanc decretalem *Honorius II.* ? D. In plerisque legitur simpliciter solùm *Honorius* : in quibusdam : *Honorius Episcopus urbis Romæ omnibus Episcopis occidentalibus* : utraque lectura probat, hanc decretalem fuisse editam, non per modum *rescripti particularis*, sed *tanquam constitutionem generalem* pro toto Patriarchatu Occidentis : si qui codices cum *appendice prædictâ (num. 3.) Concilii Lateranensis*, habeant *orientalibus*, manifestè peccaverunt amanuenses ; cùm enim *Henricus* Imperator nullam constitutionem dederit pro *Oriente*, quid opus fuerat *Orientalibus* Episcopis laudare ejus  
deci-

decisionem  
gis ?  
7. C. Scio nu  
laudatur  
dus, qu  
quòd fue  
legibus I  
Henricus  
Augustus.  
vel claudus  
hic vulgò  
tutum : f  
attende ad  
tigit : na  
Rex secund  
minis secun  
manorum  
ronatione  
conditio  
anno reg  
tenderet a  
OTTO F  
leges diplo  
torem. Vic



decisionem, dare roborationem, & moderationem legis?

7. C. Scio nunc *Honorium*, quis verò *Henricus* Imperator laudatur in hâc generali encyclicâ? D. disputat hîc mundus, *quintus*, fueritne *secundus*. Tu tene pro certo, quòd fuerit *Henricus* Imperator *secundus*: sic enim in legibus Longobardicis *lib. 1. tit. 47. cap. 11.* habetur: *Henricus divinâ pietate secundus Romanorum Imperator Augustus*. C. Erit ergò *Henricus*, cognomento *sanctus*, vel *claudus*, fundator Episcopatus Bambergensis; quia hic vulgò audit *Henricus II.*? D. Hoc putaveram te illaturum: falleris: lege adhuc semel inscriptionem, & attende ad omnia verba. C. *Imperator secundus*. D. Tetigisti: nam *sanctus* ille *Henricus* erat quidem Germaniæ *Rex secundus*, sed non *Romanorum Imperator* hujus nominis *secundus*: illis quippe temporibus nullus *Rex Germanorum* se scripsit *Imperatorem*, nisi qui Romæ per coronationem promotus esset ad hanc dignitatem. Quæ conditio defuit *Henrico I.* condicte *aucupi*: nam, dum anno regni sui 17. post multa virtutis suæ opera Romam tenderet *ad obtinendum Imperium*, morbo correptus obiit. OTTO *Frisingens. lib. 6. cap. 19. in fin.* Et ideò non leges diploma, in quo *Henricus auceps* se scribat *Imperatorem*. Vide hâc de re fusiùs *Struvium in corpore histor.*

*German. Period. V. Sect. I. §. IV.* Hinc *Henricus Sanctus* in classe *Imperatorum* est *Henricus primus* : Quæ res se magis pandit ex diplomatibus *Henricorum IV., & V.* : nam *Henricus in ordine Regum* quartus , nominatur *in ordine Imperatorum* tertius : & filius ejus , *in ordine Regum* quintus , est *in ordine Imperatorum* quartus : vid. *Histor. diplom. Trevir. Tom. I. pag. 436. in datâ, & not. 6. item pag. 442. column. 2. pag. 475. column. 1. pag. 476. Column. 1. pag. 479. Column. 1. pag. 482. Column. 1. Adde pag. 485. & 487. ubi Henricus filius anno 1107., quoniam nondum fuerat promotus in Imperatorem, sic ter se scribit : Henricus divinâ favente clementiâ quintus Romanorum Rex : Econtra autem pag. 498. 501. 502. 512. Henricus divinâ favente clementiâ quartus Romanorum Imperator Augustus ; quia hæc diplomata data sunt post annum III. , quo Romæ coronatus est. Adde *Goldastum constit. Imper. Tom. IV. pag. 319.* Igitur de *Henrico Sancto* non potest verificari inscriptio novæ constitutionis , quia non fuit *Imperator hujus nominis II.* Accedit alia difficultas hæc : quòd constitutio *Henriciana* facta sit *Arimini* ( italicè *Rimini* ) oppido Italiæ ad Sinum Adriaticum, die 3. *Mensis Aprilis* , ut habet *prima compilatio*, vel 3. *Kal. April.*, ut habet *Goldast. loc. cit.*, & notator hujus cap. 1. *in corpore jur.*  
*sub**

*sub lit. d.*, neque commodè referri possit ad unam ex tribus expeditionibus Italicis, quas fecit *Henricus Sanctus*, primam anno 1004. pro coronatione *Longobardicâ*, secundam anno 1014. cum *Cunegunde* suâ pro coronatione *Romanâ*, tertiam anno 1022. pro liberando statu ecclesiastico, & reliquâ Italiâ ab irruptione *Gracâ*, & *Sarracenicâ*.

8. C. Parvus glossator, sive notator Capituli nostri *in notâ b.* ait, se *Honorium II. reposuisse*, tum ex ordine capitulorum hujus tituli, sicut & tu supra arguebas, tum ex *Henrici Imperatoris mentione in hoc capitulo habitâ*: vixit enim *EUGENIUS* ( voluit dicere *Honorius II.* ) & *sedit circa annum Christi 1126. Imperatore HENRICO V.* Sic quoque retinuerunt doctissimi *Pithæi*: sed non assequor hanc rationem 2dam, nam 1.) anno 1126. *Henricus V.* jam obierat, videlicet 10. Kal. Jun. 1125. 2.) mentio *Henrici* præcisè non denotat potiùs *quintum*, quàm *alium*: dicit enim decretalis: *filiî nostri Henrici quondam Imperatoris.* D. Neque ego capio istam notatoris conjecturam ex synchronismo, propter verbum *quondam*, quod significat Imperatorem *defunctum*: anno autem 1126. omnes quinque *Henrici* erant defuncti: unde *Joannes Andreae* non est ausus aliquem ex illis determinare, sed nudè dixit: *fuerunt quinque Henrici.*

Et valdè hallucinati sunt magni viri, *Innocentius*, & *Hostiensis*, scribendo: *hoc statutum, quod fecit Honorius, Imperatori placuit.* C. GOLDASTUS *Tom. Const. Imper. pag. 319.* tres *Henrico V.* adscribit constitutiones, primam *de illicitis nuptiis*, secundam *de jure jurando clericorum*, de quâ est nostrum capitulum, tertiam *de spretâ majestate.* In duabus primis legitur: *Henricus divinâ pietate IV. Romanorum Imperator Augustus*: in tertiâ: *Henricus divinâ pietate II. Romanorum Imperator Augustus*: Fateatur, vulgò scribi, *Henricus II.*, sed ait, perperam, quia *Henricus V.* dictus sit *Italis junior*, vel *secundus*, propter patrem. D. hæc *Goldasti* correctio mala est: *junior* equidem vocatus est *Henricus V.* propter patrem, sed non *secundus*, præsertim in *constitutionibus*, & *diplomatibus.* Bis fuit in Italiâ *Henricus V.*, nempè a.) anno III., quo coronabatur in octavis Paschæ, quæ mense Aprilis cadebant, postquam jam in urbem ingressus esset I. idus Februarii. STRUV. *Corp. histor. germ. period. VI. Sect. IV. §. V.* Tunc certè non potuit 3. April., vel III. Kal. April., *Arimini* imperiali sub nomine condidisse hanc legem. b.) alterâ vice ab anno 1116. usque ad an. 1119. omnia turbata erant in Italiâ, tum propter hæreditatem

Ma-

Matbildina  
tiones Hen  
riam suam  
aliquos  
his annis  
condider  
9. C. Adver  
Domine  
tis condit  
tam à Scr  
II. Imp. sic  
habet: A  
sentiam g  
fit Pontifi  
ventus. S  
anno 10  
Romanor  
Data X  
Anno  
ratoris  
392. C  
nicæ Inc  
rico Rege  
Goslavia

*Mathildinam*, tum propter *Anti-papas*, & *excommunicationes* Henrici V., qui non in *terris Statús Ecclesiastici* curiam suam habebat, sed in *Tusciá*, & *Liguriá*, unde aliquoties Romam movit: hinc non est verisimile, quòd his annis *Arimini in Umbrid* curiam tenens legem istam condiderit.

9. C. Adverto jam, quòd tua tendat sententia, Clarissime Domine; - *Henricum* III., qui cognominatur *niger*, sentis conditorem hujus esse legis. D. Sic est: hic enim tam à Scriptoribus, quàm in chartis vocatur *Henricus* II. *Imp.* sic *WIBERTUS* in *vitá Leonis IX. lib. 2. cap. 2.* habet: *Anno 1049. apud Wangionum urbem ante præsentiam gloriosi Henrici secundi Romanorum, Augusti, fit Pontificum, reliquorumque Procerum non modicus conventus.* Sic in *Histor. diplom. Trevir. Tom. I. pag. 389. anno 1051. legitur: Henricus divinâ favente clementiâ Romanorum Imperator Augustus: in fine verò pag. 390. Data XII. Kal. Febr. anno Dominicæ Incarnationis MLI. Anno autem Domini Henrici tertii regis, secundi Imperatoris, regni XIII., imperii verò V. Idipsum cerne pag. 392. Column. 2., pag. 394. Data Treviris anno Dominicæ Incarnationis MLII. indictione quintâ, regnante Henrico Rege tertio, Imperatore secundo. & pag. 395. Actum Goslariæ anno MLIII. indiçt. VI. Anno autem domini Hen-*

rici III. regis, imperatoris II., regni XV. imperii VII. Confer pag. 399. 401. 402. Cùm itaque vulgata inscriptio nostræ constitutionis præferat *Henricum Imperatorem secundum*, talis autem fuerit *Henricus Rex III.*, non hæsito isti eandem tribuere.

10. C. Ad explicandum hoc capitulum necesse erit, priùs legere ipsam constitutionem *Henrici II. Imp.*, quam exhibet GONZALEZ in *commentar. hujus textus lit. g. D.* Adde *Frid. LINDENBROGIUM* in *codice legum antiquar. edit. Francofurt. 1613. pag. 509.*, ubi sunt tres libri *legum Longobardicarum*, in quorum primo tit. 47. l. 11. lex hæc imperialis extat: Item GOLDASTUM *Const. Imper. Tom. IV. pag. 319.* Sed optimè faciemus, si eam ex aliquo MSto recitemus. En *Bernardi Circa Papiensis* compilationem primam ad tit. de *juram. Calumn.*, qui est ultimus libri I.: lege, si placet, ego conferam impressa.

11. C. *Constitutio nova Domini Henrici Imperatoris Augusti data III. die Mensis Aprilis Civitate Arminio.*

### *De Juramento Calumpnie.*

*Quoniam legibus cautum est ut nemo clericus jurare præsumat. alibi verò reperitur scriptum ut omnes principales personæ in primo litis exordio subeant juramentum calumpnie, nonnullis legis peritis res venit in dubium, utrum cle-*  
ri

rici jus jur  
officium li  
ubi clerici j  
politans cl  
alios cler  
ab omni  
constitutio  
clesiarum  
dicitur Just  
gum haberi  
riatur ut c  
calis ordo a  
bio censetur  
ne & hunc  
Episcopus  
cinque or  
stimoniali  
jusjurand  
ydoneis n  
12. D. Pau  
ex cod  
a.) Tit  
Rom  
(b.) Pos  
nat:  
rare p  
rea qu

rici jus jurandum præstare debeant. aut alii personæ hoc officium liceat delegare. quia illud constitutionis edictum ubi clerici jurare prohibentur à Marco Augusto Constantino- politanis clericis promulgatum fuisse videtur. idcirco ad alios clericos pertinere non creditur. ut ergò ista dubietas ab omnibus penitus auferatur. nos illam divi MARCI constitutionem ita interpretari decernimus ut ad omnium ecclesiarum clericos generaliter pertinere judicetur. Nam cum divus Justinianus jure decreverit, ut canones patrum vim legum habere oporteat, & in nonnullis patrum canonibus reperitur ut clerici jurare non debeant dignum est ut totus clericalis ordo à præstando juramento immunis esse procul dubio censeatur. Quapropter nos utriusque videlicet & divinæ & humanæ legis intentione servatâ decernimus. Ut non Episcopus neque abbas. neque presbyter. neque cujus- cunque ordinis clericus. non aliquis monachus vel sanctimonialis in quâcunque controversiâ criminali sive civili jusjurandum compellatur quâcunque ratione subire sed suis idoneis advocatis hoc officium liceat delegare.

12. D. Paulò aliter hanc legem hinc inde refert Gonzalez ex codice legum antiquarum : nam

a.) Titulus præfigitur iste : *Henricus divinâ pietate secundus, Romanorum Imperator Augustus.*

b.) Post verba : *liceat delegare*, superiora, sic apud eum sonat : *Quia enim illius constitutionis edictum, ubi clerici jurare prohibentur, à Marco Augusto constitutum est, propterea quia de Constantinopolitanis clericis &c.*

B 3

c.) Post

- c.) Post verbum : *decernimus*, addit: *Et imperiali auctoritate irrettractabiliter definimus*, &  
 d.) Sic subjungit : *ut neque Episcopi, neque presbyteri, neque cujuscunque ordinis clericus, non abbas, non monachus &c.*  
 e.) Postremum colon sic reddit : *sed advocatis suis propriis, Et idoneis debeant delegare.*

Adscriptionem *datæ*, & *loci* non refert Gonzalez; sed Goldastus, qui cæteroque textum refert, sicut ille, habet ; *Dat. Arimini III. Kal. April.*

Non est autem novum, varias ejusdem legis occurrere lectiones : nam & amanuenses, & editores fuerunt sæpè imperiti, sæpè mirabiles homines, qui pro genio suo mutârunt, auxerunt, mutilârunt textus. Confer præsens capitulum *inhærentes* cum eo, quod est in *appendice Concilii Lateranensis III.*, & similiter hinc inde reperies dissonantiam. Cæterùm observata varietas nihil mutat *in substantia*; quia solorum *accidentalium* est, excepto, quòd in ultimo puncto (e) *non debeant* fit aliud, quàm *liceat* : Tu tene *liceat*, quia clerici *non debent*, sed *possunt* delegare; nec ego reperi quemquam, cum Gonzalez legentem *debeant*.

13. C. Non rectè legunt omnes : *Divus Marcus Augustus*, ideòque in novis impressis monetur, ut legamus *Marcianus* pro *Marco*, D. Mendosè legitur *Marcus* gentilis, pro *Marciano* orthodoxo Imperatore : nam constitutio nova *Henrici* putat legem 25. §. 1. *vers.* quòd si lis

C. de Episc  
 titur nota  
 quòd in sc  
 Imperator  
 Marcus.  
 lis, tam  
 ut ex ho  
 buerunt  
 prænome  
 vii, vel  
 dicere,  
 Poterit ta  
 tulerit, ut  
 veteres G  
 num, cie  
 runt hun  
 14. C. An  
 huc lice  
 inhære  
 recens  
 venisset  
 ibi? D.  
 noluit co  
 R. R. Po



C. de Episc. & Cler. Errorem tantum sic excusare nititur notator ad hoc capit. lit. c. *Error hinc processit, quòd in scriptis codicibus, quales habeo, sic scriptum erat: Imperator Marcus Marcianus: illi autem scripserunt: Marcus.* Sed in vanum: nam error nimis est universalis, tam in MSSis, quàm in antiquis impressis, quàm, ut ex hoc fonte provenisset: & illi ipsi codices, qui habuerunt: *Marcus Marcianus*, erraverunt; cùm *Marci* prænomen *Marciano* non fuerit, sed vel prænomen *Flavii*, vel agnomen *Flacci*, vel neutrum. Præstat nihil dicere, quàm divinare *mendi adedè communis* originem. Poterit tamen dici, quòd tunc usus vulgaris *JCtorum* tulerit, ut etiam *Marcianus* vocaretur *divus Marcus*; nam & *veteres Glossarum Statores* probè sciverunt, esse *Marcianum*, citantes legem ejus ex codice; & tamen retinuerunt hunc modum loquendi.

14. C. Antequam recitemus textum *Honorii*, quærere adhuc liceat mihi, cur *S. Raymundus*, qui hoc capitulum *inhærentes* sumpsit ex *prima compilatione*, omiserit prærecensitam novam constitutionem *Henrici*? Nónne convenisset eam præmitti, & subjungi capitulum, sicut ibi? D. Duplex potuit illum movisse ratio: 1.) Quia noluit *constitutiones Imperatorum* referre inter *decretales R. R. Pontificum*, sicut fecerat *Gratianus* in Decreto. 2.) Quia

Quia judicavit fore superfluum, eò quòd verba constitutionis novæ fuerint incorporata capitulo nostro: interim experientia docet, pro explicando fundamentaliter textu præsentis nôsse nos oportere, qualiter præcisè sonuerit ista constitutio ante Honorium edita. Lege nunc capitulum ex corpore juris.

- 15.) C. HONORIUS II. *Inherentes vestigiis prædecessorum nostrorum, dicentium, graviores quæstiones per summum Pontificem terminari: ( 1. Et infra ) legibus itaque comperimus esse cautum, ut nullus clericus jurare præsumat. Alibi verò reperitur scriptum, ut omnes principales personæ in primo litis exordio subeant juramentum calumniæ; propter quod plerisque venit in dubium, utrum Clericus jusjurandum præstare debeat, aut alii hoc officium delegare: quia illud constitutionis edictum, ubi clerici jurare prohibentur, à Marco Augusto de Constantinopolitanis clericis promulgatum fuisse videtur, idcirco ad alios non creditur pertinere. Ut ergò dubietas ista auferatur, secundum etiam decisionem filii nostri H. quondam Imperatoris, ( 2. Et infra ) cujus sunt verba hæc. Ejus itaque interpretationem corroboramus, & divi Marci constitutionem ità interpretari debere decernimus, ut ad omnium ecclesiarum clericos generaliter pertinere judicetur. Nam, cum Imperator Justinianus decreverit, ut canones Patrum vim legum habere oporteat, & in nonnullis Patrum canonibus*  
*repe-*

reperiatur  
 est, ut tot  
 sit immuni  
 gnoscitur  
 tione ser  
 tractabili  
 non cujus  
 monachus  
 controver  
 pellatur q  
 bus ( si e  
 licet dele  
 pus incon  
 consulto  
 autem E  
 mandam  
 inceps no  
 16. D. Ref  
 indicat  
 1. Nost  
 caus  
 niam  
 III,  
 mæ o  
 stituti  
 2. Ut a  
 sicut ib

reperiatur, ut clerici omninò jurare non audeant, dignum est, ut totus clericalis ordo à juramento calumniæ præstando sit immunis. Præterea statuti Principis tenor talis esse dignoscitur: Nos itaque (divinæ, & humanæ legis intentione servatâ) decernimus, & imperiali auctoritate irtractabiliter definimus, ut non Episcopus, non presbyter, non cujuscunque ordinis clericus, non Abbas, non aliquis monachus, vel sanctimonialis, in causâ quâcunque, sive controversâ, seu criminali, seu civili, jusjurandum compellatur qualibet ratione subire, sed aliis idoneis defensoribus (si expedire Ecclesiæ suæ noverit) hujusmodi officium liceat delegare. Verùm cum hâc moderatione, ut Episcopus inconsulto Romano Pontifice, vel quisque Clericus inconsulto Prælato suo, minimè jurare audeat. Omnibus autem Episcopis, & universo clero, ita custodiri debere mandamus, ut si quis in illam commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. 3. Et infra.

16. D. Resecata de fonte sunt sequentia, quæ S. Raynundus indicare solet per verba: Et infra.

1. Nostrorum fratrum diligenter consilio inquisito, hujusmodi causæ speciem irrefragabiliter Deo opitulante decidimus: quoniam: Ita MSta compilatio prima, appendix Conc. Lateran. III., & impressa recentiora passim; excepto, quòd duæ primæ omittant verbum: quoniam, quod ex novâ Henrici constitutione huc transtulerunt impressa.
2. Ut accepimus, Armenio factam initio nonas aprilis, aut, sicut ibi continetur, die. MSta compilatio prima, & Gonzalez

zalez. Sed dicta appendix aliter, & quidem sic: *anno suo imperii, ut accepimus, factam tertio.* Vides, quod varient lecturæ: Novella Henriciana alibi *pro datâ* habet *tertium diem mensis Aprilis*, sive, quod idem est, *tertium nonas Apriles*. Alibi *tertium Kalendas Aprilis*, hoc est, 30. Martii. Propterea Dominus Papa noluit præcisè dicere. 3. *Aprilis*, sed addidit propter incertitudinem: *ut accepimus, aut, sicut ibi*, id est, in illâ Henricianâ, *continetur, die*: *Annus imperii tertius HENRICO Sancto* erat 1017. *Hist. diplom. Trev. Tom. I. pag. 353. & 354. HENRICO V. ann. 1114. ibid. pag. 497. 499. Henrico autem tertio annus 1049. ibid. pag. 385. & 390.* Perpende nunc, cujus de his tribus Henricis imperii *anno tertio* meliùs quadret commemoratio *Ariminii*? Sanè *solius Henrici III.*; si fortassis nullius, iusta erit suspicio, quòd ista *Henriciana* constitutio sit supposititia, id quod superioribus me criticis examinandum relinquo.

3. *Non sumentes exemplum, seu formam à nobis, quod in causâ nostrorum fratrum, & Episcoporum Aretinæ, & Senensis Ecclesiæ nuper fecimus; quoniam eorum voluntati, & postulationi annuimus.* MSta Compil. 1., & appendix Conc. Lateranens., quæ tamen paulò clariùs habet: *quòd aliter in causâ &c.* Hanc rem UGHELLUS *Tom. I. Italiae sacræ pag. 416. in Vidone* refert his verbis: *diuturnâ lite cum Gualfrido Senensi Episcopo decertavit, armisque succinctus multa suæ ditionis recuperavit, quæ illi per vim, perque dolum dictus Episcopus videbatur ademisse. Reperitur etiam subscriptus cuidam Bullæ Honorii II. Pontificis, Ecclesiæ Pisane indultæ, anno 1126. 17. Kal. Aug. Quod solum, si cetera deessent omnia, probaret nostram sententiam de Honorio II. hujus capituli conditore.*

17. C. Conferamus nunc textum impressum cum tribus codicibus MSSis S. Simeonis, an perfectè concordent?

D. Legamus alium ex alio : ecce concordant per omnia, excepto , quòd loco *quisque clericus* fit ibi : *quisquis clericus* ; & unus eorum habeat : *Ecclesiis suis pro Ecclesie sue* ; quæ parvitas non inducit variationem.

18. C. Videamus porrò , utrum concordet cum textu compilationis primæ. D. adverti jam quasdam levioris notæ differentias : nam

a.) *Raymundina* , sive *Gregoriana* , in exordio sic habet : *propter quod plerisque venit in dubium* : aliter compilatio prima : *quamobrem nonnullis legis peritis , & aliis quàm plurimis sapientibus , venit in dubium*. Appendix Conc. Lateran. sic : *nonnullis legis peritis , & aliis sapientibus venit in dubium*. Gonzalez sic : *nonnullis legis peritis , sed & aliis quàm pluribus sapientibus , venit in dubium* :

b.) Post verba : à *Marco Augusto* , sequitur in compilatione 1. *Constantino Præfecto Prætorio* , quæ omisit *Raymundina* : habet verò quoque prædicta appendix. Gonzalez legit : *Constantinopolitano Præfecto Prætorio*. Sed retinenda est inscriptio. l. 25. C. de *Episc.* , in quâ : *Constantino*.

c.) Compilatio prima habet : à *præstando juramento immunis procul dubio esse censeatur*. Consentit sæpè dicta appendix. *Raymundina* verò omisit verba : *procul dubio* , & apposuit verbum *calumnie*.

d.) Compilatio prima : prætereà *utriusque statuti Principis tenor* apud nos *talis* esse dignoscitur ; appendix rectè omisit

ineptum verbum : *utriusque* , & ait : *penes nos*. *Raymundina* utrumque omisit. Innuunt tamen hæc : *penes nos* , quòd Dominus Papa benè sciverit , discrepare exemplaria constitutionis Henricianæ.

e.) Compilatio prima post verba : *omnibus autem Episcopis* , ponit : *ac cunctis generaliter Sacerdotibus* ; similiter *appendix* ; quæ tacuit *Raymundina*.

C. Ufus est ergò hìc S. *Compiler* potestate *Tribonianâ* , refecandi , & apponendi : neque enim dubitandum est , quin habuerit ad manus pleniora exemplaria , ita , ut nullus codex , *S. Raymundo anterior* , præcisè tulerit textum , qualis post eum in compilatione sextâ evasit , & nunc passim conspicitur.

### §. III.

#### *Distribuitur textus in suas partes.*

19. D. Hactenùs discurresti mecum : nunc tacens auscultata ; ne interloquendo rumpas filum *distributionis* , quæ spinosa est ; ut secernantur verba , *Henrico* , & *Honorio* communia , ab his , quæ *alterutrius* sunt *propria*. Hoc capitulum *duas partes principales* habet : *prima* desinit immediatè ante versum : *præterea* , à quo incipit *secunda pars* , & vadit usque ad finem Capituli.
20. *Prima pars principalis* subdividitur in *quatuor* alias partes : *ima* exorditur à *gravioritate* hujus quæstionis ,  
quæ

quæ determinationem Summi Pontificis exigat : 2da narrat *speciem facti* cum occasione motæ inter doctores controversiæ, *an clerici teneantur personaliter præstare juramentum calumniæ*, ex collatis ad invicem l. 25. §. 1. C. de Episcop. & l. 2. C. de jure jur. propter calumn. junct. Auth. principales personæ, sive Nov. 124. cap. 1. subjungitur effugium cit. legis 25tæ. 3tia decidit, & imperialem decisionem corroborat. 4ta continet *rationem decidendi*.

21. *Secunda pars principalis* subdividitur in tres posteriores partes : 1ma recenset reliquum tenorem novæ constitutionis, qui præcedentia magis explicatè ponit : 2da moderationem Domini Papæ illi subjungit : 3tia universo clero observantiam hujus Capituli, sub interminatione denegandæ veniæ, inculcat. En paucis anatomiam, seu *analysin* totius capituli.

22. C. Catio. Sed, quoniam *Glossa*, & *Bernardus*, soliti sunt in quævis capitula formare *casum longum*, dic, an placeat tibi casus hujus capituli, prout datur in vulgatis, vel apud *Laymann in paraphras. b. c. ? D.* Non multum : quoniam non tam *casus* est, quàm *summarius extractus*. Igitur eum tibi sic pleniùs appono.

*Causa Species.*

23. Sæculo XI. in Italiâ , ubi semper conservabatur jus *Codici Justinianei*, oriebatur disputatio inter nonnullos Legistas , *an Clerici instar laicorum deberent in primo litis exordio præstare juramentum calumniæ generale*, quod primus introduxit *Justinianus*, tam ab *actore*, quàm à *reo*, personaliter præstandum? Alii dixerunt, quòd deberent; quia *Justinianus indefinitè, generaliter, & sine quâvis distinctione*, omnibus principalibus personis, etiam *in dignitate* constitutis (vid. *d. l. 2. §. 1.*) hoc genus juramenti injunxit: ergò & clericis. Alii negabant, sub istâ *generalitate indefinitâ verborum* comprehendi clericos, probantes hoc per regulas ecclesiasticas, & canonem *Ss. Patrum, lege Marciani* comprobatum, clericis prohibentem juramenta, sustinebantque, indulgendum esse clericis, ut officium hujus jurisjurandi delegent suis advocatis; nam Clerici mediam quandam viam offerebant, nempe ut vellent alium pro se ad hoc officium delegare. Affirmantes autem ad argumentum ex lege *Marciani*, quærentes diffugium, responderunt, *solos clericos Constantinopolitanos* immunitatem à jurando consecutos esse, igitur *occidentales, & cæteros clericos* non habendos fore immunes. Controversia hæc *juris in thesi* deferrebat ad *Henricum II. Imp.*, tunc *Arimini* consistentem; qui decidit favore *negantium*, declarando, legem *Marciani pertinere generaliter ad omnium ecclesiarum clericos*, dignumque esse, *ut totus clericalis ordo (inclusis etiam minimis de clero, imò & monialibus) à præstando juramento immunis sit*: vetuit proinde, ut neque clericus, neque monachus, neque monialis, in quâcunque causâ, sive *criminali*, sive *civili*, jusjurandum

dum  
advo  
num  
excre  
riq  
Hen  
quæ  
deb  
par  
cor  
per  
inco  
lato,  
Habes  
24. C.  
corro  
etiam  
vellet  
gia cle  
poru  
i. ca  
x. C.  
legi a  
quòd  
naveri  
manda  
dato, b.



dum *quâcunque ratione* subire cogatur, sed possit hoc suo advocato delegare. Post mortem Henrici Imp., circa annum 1126., resuscitata fuit hæc controversia, & in tantum excrevit, ut jam non amplius *nonnulli* legisperiti, sed *plerique* dubitarent: quare *Honorius II.* opus censuit, tam ipsius *Henrici* constitutionem *contra judices seculares* corroborare, quàm etiam secundùm illam pro *judicibus ecclesiasticis*, quid debeant custodire in praxi, ordinare. Et *primam* quidem *partem* dictæ imperialis constitutionis *Honorius simpliciter* corroboravit, secundam verò, ne clerici pro suo arbitrio personaliter jurarent, cum hæc *moderatione*, ut Episcopus *inconsulto Summo Pontifice*, & Clericus *inconsulto suo Prælato*, non auderet jurare; idque sub pœna non remittendâ.

Habésne aliquid contra casum longum sic positum?

24. C. Quòd *Honorius* propter *legistas*, & *judices laicos* corroboraverit decisionem *Henrici*, admitto; id quod etiam potuit Summus Pontifex; nam, si *secularis* iudex vellet à clericis aliquid *contra sacros canones*, vel *privilegia clericalia* prætereendere, Summi Pontificis, & Episcoporum est, ipsos *cenfuris* coërcere. *can. 2. § 8. XI. q. 1. cap. 4. § 7. de immum. cap. 2. de for. compet. x. § in 6.*; & hoc magis, si non solùm contraveniret legi *ecclesiasticæ*, sed etiam *imperiali*, sicut hîc. Sed, quòd etiam *propter judices ecclesiasticos* hæc decretalis emanaverit, non video. D. Videre autem potuisses 1.) ex mandato, ad omnes occidentales Episcopos *indistinctim* dato, *hæc ità custodiendi*, proindè *etiam in suis judiciis ob-*

servandi idipsum, quod Henricus præceperat custodiri *in judiciis sæcularibus*: aliàs, si *Honorius* distinctionem facere voluisset inter casum, quo clericus litigaret coram *judice sæculari*, & inter alium casum, quo coram *judice ecclesiastico*, specialiùs hoc expressisset. 2.) Ex periculo mali exempli, quod iudices sæculares ab Ecclesiasticis sumere potuissent, si isti clericos compulissent ad jurandum propter calumniam: & demùm 3.) clarissimè, *ex refecato* finali versu, de quo suprà *num. 16.* & *infra 3.*, ubi hortatur *Honorius* Episcopus, ne sumant exemplum ab ipso, propterea, quòd *coram eo* juraverint nuper duo Episcopi de calumnià: non poterant enim Episcopi hoc imitari, vel allegare, nisi faciendo clericos jurare *in suis judiciis*. C. Sed *refecata* non præstant argumentum; cùm decretales sumendæ sint, sicuti jacent. BENEDICTUS XIV. Tom. 1. sui Bullarii constit. 113. §. 9. & seqq. D. ad *evertendum* ea, quæ remanserunt. C. ad illustranda N. nam *adjuvandæ interpretationis gratiã* quotidie allegamus decisam decretalem, inquit PANORMITANUS Tom. 1. pag. m. 7. column. 2. Confer *Gonzalez in apparatu num. 53.*

25. C. Hoc ergò modo *Honorius*, per istam unam decretalem *duplicem* fecit *providentiam*. 1.) Ne *sæculares* in scholis, & foro inducerent aliquid novi *contra ipsas Imperatorum*

torum leges, & decisiones; propter quod provocavit expressè ad eas. 2.) Ne *Episcopi* in suis iudiciis compellerent clericos ad iuramentum calumniæ, & sic malum exemplum darent *judicibus laicis*, prætendendi pariter à clericis, si apud ipsos, *tanquam actores*, comparerent, hócce sacramentum. D. Perfectè: hoc est nunc meum systema *de scopo* huius decretalis; quanquam nuper in hac sententiâ fuerim, quòd *unicè propter seculares* emanaverit hæc Honoriana: colligo enim ex c. 2. 3. 4. 5. *h. t.*, quæ sunt *Eugenii III.* & *Lucii III.*, quòd jam temporibus *Honorii* in Galliâ, & Angliâ practicari inceperit iuramenti calumniæ exactio à iudicibus *etiam ecclesiasticis*.

§. IV.

*Explicatur textus de versu ad versum.*

26. C. Exordium: *Inherentes &c.* usque *terminari*, dicit: *graviores quæstiones debent per Summum Pontificem terminari*: ubi hoc dixerunt prædecessores *Honorii*? D. Citatur *Julius I.* anno 337. in can. *dudum* 9. III. q. 6. Sed *Harduino Tom. I. Concil. pag. 556.* est falsa decretalis. Nec melior *can. 5. dist. 17. ex epist. 6. Pelagii II.* apud eundem *Tom. III. pag. 440.* Itaque lege *ibid. Tom. I. Innoc. I. epist. 2. cap. 3. ibi: Si autem majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apostol. sicut Synodus statuit, post Episcopale iudicium referantur.* Adde *can. 6. dist. 17. ex libello Ennodii pro Symmacho anno 501. S. Gregor. I. can. 52.*

§. 2. XVI. q. 1. Evolve plures authoritates apud GONZALEZ *in cap. 1. de transl. lit. e., & in cap. 3. de baptism. lit. b.*; quanquam nonnullas *supposititias* immiscuerit vir doctus. Acriter sibi hoc reservatum apostolicum vindicavit post Honorium *Imoc. III.* Vid. *citt. Capit. cum cap. 59. in fin. de appellat., & omnino cap. 13. Qui filii in med.,* ubi hoc probat ex *Deuteron. XVII. v. 8.* ¶ *seqq.* Confer *S. Thomam 2. 2. quæst. 1. art. 10. in ☉.*

27. C. Quænam ergò reputantur *causæ majores, & graviores?* D. 1.) *Causæ religionis, & fidei.* can. 2. dist. 12. cit. can. 52. can. 12. XXIV. q. 1. cap. 3. de bapt. 2.) *Pontificalis accusatio, & depositio.* cit. can. 2. dist. 12. can. 7. can. 9. III. q. 6. 3.) *Mutationes Sedium episcopaliū.* can. 42. VII. q. 1. cap. 1. de transl. 4.) *Erectio, divisio, unio Episcopatum.* cap. 4. de offic. legat. 5.) *Translationes Episcoporum.* can. 34. VII. q. 1. cit. cap. 1. ¶ 2. de transl. cap. 3. de offic. legat. 6.) *Renunciationes Episcoporum.* cap. 10. de renunc. 7.) *Institutio novorum ordinum regularium.* cap. un. de relig. dom. in 6. 8.) *Cultus novus alicujus Sancti, aut expositio reliquiarum de novo inventarum.* cap. 1. ¶ 2. de reliq. ¶ *ven. Sanct.* 9.) *Quidquid graves motus, vel scandala in Ecclesiâ, Imperio, vel aliquo regnò faceret, ut depositiones imperantium, generalia regnorum interdicta.*

10.) *Cùm*

10.) Cùm dubitatur *de intellectu alicujus juris*, intellige *divini*, aut *canonici*. cit. cap. 13. Qui filii. *Ut, unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat.* Cap. 31. de Sent. excom. 11.) Cùm aliquid detrahi vult *privilegiis clericorum communibus*, quæ nempe toti ordini clericali competunt. 12.) Cùm *nova disciplina* contra *antiquam*, & inveteratam, vellet introduci, præsertim, si hæc sacris canonibus, & legibus sit munita, ut hîc: *judices, quippe, Justinianæ juris nimium amantes, volebant compellendos esse clericos, ut jurarent coram se de calumniâ, id quod erat magna novitas, contra laudabilem consuetudinem hætenus observatam, tangens totum ordinem clericalem, canis Patrum decretis detrahens, & privilegio Marciani: hinc clarè videbis, cur Honorius II. præsentem quæstionem retulerit inter difficiliore, referendas ad Sedem D. Petri; ne fortè, si Concilia Episcoporum particularia illam decidissent, discrepantia resultassent decreta, & regnum in se ipso divisum; aut ne tam facilè oriretur conflictus divinæ, & humanæ jurisdictionis: ideò interpretes nostri generaliter docent, causam graviorem existere, quoties circa jus commune emergit dubitatio, quâ indecisâ manente posset evenire difformitas in Ecclesiâ, aliis hoc, aliis contrarium tenentibus, & practicantibus, secundum sensum proprium, quo solet quilibet abundare;*

quia *jus commune* debet esse, quantum fieri potest, *unum totius Ecclesiae*, quod servari non posset, nisi quaestio juris exorta determinetur *per eum*, qui *toti Ecclesiae praest*, ut sic ejus decisio à totâ ecclesiâ firmiter custodiatur. *Arg. can. 3. in fin. dist. 11.*

28. C. Non videtur tamen praesens quaestio tam difficilis fuisse, ut esset locus *recursui ad Principem* pro decisione: sola *magistralis*, five *scholastica* interpretatio sufficisset: tunc enim duntaxat recurrendum est ad legislatorem; *cum dubium ita est arduum*, ut firmus *legis intellectus dari non possit*, sicut legi in *Panormitano* hic *notamine 1.* Ego certè pro meâ tenui capacitate semper sustinuissem, *Justiniani* mentem non fuisse, venerabili, sanctissimoque *Clero etiam* imponere necessitatem hujus jurisjurandi; quia, dum quoque nominatim de clericis disponit, ut convenirentur *coram civili judice*, expressè addidit: *privilegiis omnibus custoditis, quæ reverendissimis Clericis sacræ præstant constitutiones.* Nov. 83. in præfat. Deinde notum est illud *NICOLAI*: *imperiali judicio non possunt ecclesiastica jura dissolvi: Imperatorum leges evangelicis, apostolicis, atque canonicis decretis, quibus postponenda sunt, nullum possunt inferre præjudicium.* can. 1. dist. 10. D. verum est, quòd sana hermeneutis *levem hanc de se controversiam* ex solis regulis scholæ de-  
ter-

terminare potuisset : sed, an nescis, *disputantes esse capitales*, diffugere per solutiunculas, & distinctiunculas, ità, ut nec convicti se dedant veritati? Testatur Honorius, *plerisque venisse in dubium*, seu, ut fons habet, *nonnullis legis peritis*, & *aliis quàm plurimis sapientibus*; & sic existebat casus faciendæ decisionis papalis, quò tandem cessaret *altercatio scholæ*: quamdiu, putas, durasset sustentio *damnatarum* modò *thesium*, nisi Pontifices finem autoritate suâ fecissent? & quot damna non sensissent Ecclesiæ, dum clericos, & monachos sacri canones deterruissent à jurando in judiciis; ipsis verò, quasi improbis litigatoribus, tristitia judicum cum summâ interminatione occurrisset, à judicio eos quàm longissimè expellendo, eò quòd recusarent jusjurandum propter calumniam?

29. C. *Legibus itaque usque ad præsumat*. Dic, quæso, mihi, in quâ lege comperit Honorius cautum esse, *ut nullus clericus jurare præsumat*? An ergò leges *humane* potuissent *vetare* clerico juramentum, & jurantem *punire*?  
 D. Acutum te esse adverto, & acrem *in crisi textûs*, premis literam, an sit accuratè delecta. Fateor; nullam tibi possum adducere legem, quæ hijs in terminis enunciet. Quòd enim *Glossa*, & DD. communiter allegent constitutionem Marciani *in l. 25. §. 1. vers.* quòd si

lis C. de Episc. & Cleric., hoc non probat istam propositionem, sicut jacet : ibi namque duntaxat hæc legitur : *Clericus lite pulsatus fidejussorem habeat usque ad 50. libras auri œconomum Ecclesiæ : si quantitas litis major fuerit, ipse talis Clericus pro residuâ quantitate det cautionem suam, CUI NULLUM TAMEN INSERTUM ERIT JURAMENTUM* ; quia ecclesiasticis regulis, & canone, à beatissimis Episcopis antiquitus instituto, clerici jurare prohibentur. Ecce ! non prohibet lex ista clericis, ne jurare præsumant ; sed non vult exigi ab eis cautionem juratam ; quia per canones non licet illis jurare ; quamvis liceret eis per leges ; eòquòd, secundùm has, jurare fit de genere permissorum. Et ideò Honorius non dixit absolute : *legibus cautum est*, sicut dixerat Henricus ; sed per alium dicendi modum : *legibus comperimus esse cautum* ; quasi diceret : *relata nobis est disputatio, continens ex unâ parte, legibus esse cautum, ut nullus clericus jurare præsumat* &c.

30. C. *Alibi verò usque ad calumniæ.* Si comparem hæc absoluta verba cum præcedente versu, invenio te rectam observationem fecisse in præcedenti : hìc enim Honorius non dicit, *comperimus* ; sed positivè, ac categoricè : *reperitur scriptum.* D. Certè debuit aliquid movisse Honorium, quò minùs in præcedente versu retineret ipsissima
- ma



ma verba Henrici, sicut *in præfenti*; negari enim non potest, quin scriptum sit, *omnes principales personas* subire debere juramentum calumniæ in sæpè dictâ *l. 2. C. h. t.* & *auth. principales*. C. Ignosce! Tò *omnes* ibi non est scriptum. D. Est propositio *indefinita*, loquens *indistinctè*, quæ in jure nostro æquivalet *universali*: sic enim perinde est, sive dicam: *omnis actor sequitur forum rei*, sive: *actor sequitur &c.* Textus habet: *principales personæ*: verba sunt *generalia*: ergò *generaliter* intelligenda. *l. 1. princ. junct. §. 1. ff. de legat. præstand.*; proindeque *Henricus*, & *Honorius* benè posuerunt: *omnes principales personæ*, licet tantùm sit in *authenticâ*: *principales personæ*.

31. C. Propter quod usque ad *delegare*. Transeat, quòd collatis ad invicem *his duabus legibus* jurisperiti nonnulli dubitaverint, *utrum Clericus jusjurandum præstare debeat?* Nihil enim frequentius est, quàm *aliquos* dubitare de his etiam, super quibus minimè dubitandum est: sed miror, quòd propter hoc *plerisque*, aut *quàm plurimis viris sapientibus* istud dubium venerit in mentem. D. Et ego miror: neque enim vir sapiens, & artis hermeneuticæ gnarus debuisset in hanc vanam dubitationem incidere, sive propter *contrarietatem legum*, sive propter *generalitatem secundæ legis*. *Non primum*: quia hæ

hæ propositiones : *nullus clericus jurabit : omnes personæ principales jurabunt*, non sunt *contrariæ* inter se, propter regulam, quòd *oppositæ servare debeant idem subiectum utriusque propositionis*. Quamobrem non opponuntur inter se propositiones istæ : *Nullus Papa subditus est Regi : omnis anima subdita est Regi* : sed deberet poni vel *omnis Papa &c.* vel *nulla anima &c.*, ut fieret oppositio. Neque etiam *secundum* : nam sub hâc generalitate : *omnes personæ principales*, continentur tantum illæ, quibus *per jura aliàs non inhibetur juramentum*; ut propositio illa sumenda sit *in sensu accommodo*, non autem *in sensu absoluto*; sicut non sequitur : *DEUS fecit omnia : ergò fecit etiam Verbum, sive Filium suum* : item : *dono tibi omnia mea : ergò liberos quoque, & uxorem*. Unde imprime tibi regulam, quam tradit MIDDLEBURGUS *in loc. argum. legal. loco 5. num. 1.* Cùm *medium, sive subiectum, est habile, generalitas operatur indistinctè in quâlibet specie suâ* : secùs, quando *medium, seu subiectum est inhabile*, sicut hîc : quia enim clericos per canones jurare non posse *Justinianus* dignoverat, non est censendus comprehendisse clericos, dum constituit, *omnes personas principales in exordio litis debere jurare de calumniâ* : Item nota pro interpretatione, quòd, si concurrant *duæ generalitates*, quarum una affirmet de *latiore*  
ge-

*genere, altera neget de genere minùs lato, generalitas negans præstet exemptionem à dispositione generalitatis affirmantis; tametsi aliàs terminus subjectivus generalitatis negantis, seorsim acceptus, contineretur ut species sub termino subjectivo generalitatis affirmantis: sive, ut Antonius de Butrio hìc num. 7. tradit, ubi concurrunt lex generalis, & lex specialis, disponens aliquid circa speciem in genere comprehensam, specialis derogat generali, ubi in speciali dispositum repugnat dispositioni in generali. Vel, ut Petrus de Ancharano, quem vides jacere à finistrâ ejusdem pulpiti, hìc num. 5., quando duo jura videntur sibi contrariari, lex, quæ loquitur magis generaliter, limitatur, & restringitur per aliam specialem, quæ loquitur de certo genere personarum, in quibus specialis provisio derogat generali: Arg. l. 119. ff. de V. O. & l. 41. ff. de pœn. Fundamentum est, in omni jure speciem generi derogare. R. J. 34. in 6. Consule per otium Panormitanum hìc not. 5., ubi monet, hæc principia etiam fervire ad illam disputationem, utrum clericus actor reconveniri possit coram giudice sæculari: nam similiter occurrunt ibi duæ propositiones istæ: omnis actor reconveniri potest; nullus clericus coram sæculari giudice conveniri potest. C. Jam capio tandem: in prædictis propositionibus hujus capituli omnes personæ est genus generalius;*

lius, sub quo de se etiam continetur clericus; sed, quia in materiâ juramenti aliquid *specialiter* disponitur de clerico, quod stare non posset cum hâc propositione: *omnes personæ jurabunt*; idè istâ generalitate non capitur simul clericus. D. Sic est: sentio nunc, quòd rem te neas, perge.

32. C. *Quia illud usque ad pertinere*. Credo, hanc fuisse *solutionem* eorum legistarum, qui clericos volebant compellere, ut jurarent de calumniâ, ad obmotam sibi à negantibus l. 25. C. de *Episc.* D. Ita: volebant eludere vim legis, prætexendo, illam esse *localem*, ut sentit *Dynus* ad codicem; & sic *non egredi locum*, pro quo lata est. Possemus hîc disputare, *an dentur in utroque corpore juris leges, & capitula merè localia*; an verò *data pro certis locis eo ipso sint jus commune, quòd relata fuerint in corpora juris communis*? Sed hæc disputatio pertinet ad prolegomena. Tu breviter sic tene: *omnis lex clausa in corpore juris est data pro universis, licet occasione certarum personarum data fuerit, nisi manifestè appareat, quòd sit personalis, vel localis*: nisi enim hoc esset, quot leges, quot canones, privarentur honore *juris communis*? Et adverte: si legislator personis certæ urbis *nihil novi*, & ex *speciali motivo*, concedat, sed duntaxat ex eo, *quod omnium locorum personis antehac commune erat*, deducat con-

conclusionem particularem, tunc ista *conclusio particularis* non est *jus novum*, nec *jus singulare*, nec restrictum ad *certum aliquem locum*. Ut ecce hîc : *Marcianus* in l. cit. *duo* ordinavit : *primum*, ut œconomus Constantinopolitanæ ecclesiæ pro clericis ibidem caveret usque ad 50. auri-libras, si lite pulsarentur aliquâ, etiamsi *in suis negotiis* litigarent : *secundum*, ut, si quantitas litis excederet 50. libras, clerici *de proprio* caverent quoad excessum, *absque tamen juramento* : prima dispositio est *localis*; quia *nova*, & *de certo clero*, qui habebat peculiare systema cassæ clericalis : sed secunda *de non jurando* est *generalis*; quia *conclusio*, licet *particularis*, ex canone illo *generalis*, omnes omnium ecclesiarum clericos tangente, derivata est : *nullus clericus juret* : hinc namque intulit *Marcianus* : *ergò in nullius clerici cautione interveniet juramentum*. Et sic elegans est *Glossa* hîc verbo : *ad omnium ecclesiarum*, dum ità distinguit : *Quod uni jure communi conceditur, trahi potest ab aliis in exemplum, & nulli debet denegari*. l. 13. ff. de LL. Can. 64. XVI. q. 1. in princ. Can. 4. vers. *Si igitur* dist. 5. can. 15. dist. 50. *Quod verò per privilegium alicui conceditur, non extenditur ad alios, nec ad consequentiam trahi potest à cæteris*. §. 6. Inst. vers. *planè* de J. N. G. & C. l. 14. & 16. ff. de LL. Can. 39. XVI. q.

1. Can. 2. XXVI. q. 2. C. *Perfuadeor magis atque magis, quantus thesaurus principiorum & explicationum proveniat ex repetitione capitulorum.* D. Qui hanc negligit, discet in jure modicè, & nunquam callebit *legisticè interpretari, vel disputare.*
33. C. *Ut ergò usque ad verba hæc:* Ex hoc colligunt interpretes, omnia, quæ hæctenus post verbum *terminari* legimus, esse verba *Henrici Imp.*; éstne hoc verum? D. suo modo: nam propriè *Honorius* hucusque semper locutus fuit; Quoniam verò usus est ferè ipsissimis verbis *Henrici*, ut propriis, sicut dicit *Joannes Andreae*, ideò subjunxit: *cujus sunt verba hæc, id est, præcedentia.* Ex verbis: *secundùm etiam decisionem &c.* nota, non esse reprehensibile, si etiam *in adjutorium legum ecclesiasticarum* assumantur terreni Imperii leges. *Can. 7. dist. 10. Confer. can. 16. in fin. XI. q. 1., & cap. 1. de N. O. N. in fin. negotium ipsum, secundùm legum, & canonum statuta, non differas terminare.*
34. C. *Ejus itaque usque ad judicetur.* Igitur opinio eorum, qui clericis juramentum calumniæ obtrudere nitebantur, *duplâ decisione* succubuit, primùm *Imperatoris*, deinde *Pontificis*, qui decisionem *Henrici* corroboravit, & *Marciani* constitutionem sic interpretatus est, ut non *localis* deberet censeri, sed *generalis.* D. Sic plerumque accidit

dit ineptis opinionibus, & frivolis disputantium diffugiis: in byrrhis scholarum diu pertranseunt, præfractè sustinentur, distinctiunculis à laqueo oppugnantium extricantur, audiunt *probabiles*; quia defensores earum contentiosi esse contra Apostolum non desinunt: Sed bona, ac solida interpretatio semper vincit, cùm res defertur *ad legislatores*: hujus farinae opinionum adhuc in jure supersunt multæ centuriæ, quibus opus esset decisione authenticâ, *solummodò propter obstinatos*, suarum potiùs *adinventionum* idololatrias, quàm *justitiæ*, veræque *interpretationis*, adoratores. Vide in simili *Nov. 19. in præfat. § cap. 1.* Ad verbum: *corroboramus* nota, ad harmoniam Sacerdotii, & Imperii pertinere, ut alter imperantium alterius leges corroboraret. Exempla habes in *l. 4. § 8. C. de Summâ Trinit.* Item *ad calcem corporis jur. Civil.*, ubi constitutiones *Friderici II.* corroboravit *Honorius III.*

35. C. *Nam*, cùm usque ad *immunis*. Hic mihi videtur *Honorius* iniquior esse Imperatori *Justiniano*, quàm *Marciano*: in priori quippe versu loquens de hoc dixit: *Divi Marci*; *Justiniano* autem nomen *Divi* non tribuit, sicut tribuerat tamen *Henricus*. D. Vix non incipis nasum habere crisis nimix: *non debemus captare verba*: *l. 19. ff. ad exhib.* Quæ enim res, si *Honorius* alterum

vocet *divum*, alterum *Imperatorem*? An ideò *Marcianus* minùs fuit *Imperator*, vel *Justinianus* minùs post obitum *Divus*? C. Da veniam, Domine, juveni, si per excessum criseos erraverit: arbores adolentes virgulta longiora faciunt, quorum apices discretè succidere prudentis hortulanì est. Indulgeo facilè: oportet juvenem esse vivacem spiritu, nec crimen est, si cum docilitate aliquando exorbitet: ætas superveniens temperabit suo frigore calorem, ut talia sponte abeant: hoc per parenthesis. C. Ast, dum legi *Gonzalesium* ad verbum *divi*, cohorrui, quòd *Honorius* alicui Imperatori, bono quidem, sed non sancto, epithetum hoc tribuerit: venit enim juxta eum à superstitione gentili, quæ credidit Regentes suos post mortem referri inter Deos: D. Verum est, quòd ista nomenclatura displiceat huic magno viro velut adulatoria, præsertim, si tribuatur Regentibus malis, qui nequidem christianis exequiis digni erant, sicut *Juliano apostatæ* in l. 2. de actor. § procurat. l. 20. de curs. publ. C. *Theodos*. Et ideò idem excusavit *Honorium*, quòd referat duntaxat verba *Henrici*, non autem approbet. Sed hoc nihil est; nam non fuit *merus relator* verborum *Henrici*; loquebatur assumptis *Henrici* verbis, sic, ut eadem fecerit sua: ad hæc, sicut *Honorius* non posuit *Divus Justinianus*, quamvis sic posue-

rat



rat *Henricus*; ità quoque titulum *divi* Marciano adimere, & Imperatoris nomen substituere potuisset; usque adeò enim non erat *Honorius* ad verba *Henrici*, si abusiva essent, alligatus. Denique ipsemet *Gonzalez* allegat *Joannis VIII.* epistolas 87. & 91., ubi is Regi & Imperatrici tribuit: *divæ memoriæ.* Tu ergò dic; quòd, licet significatio ista *origine sua gentilis* existat, *usu tamen fidelium* nihil aliud, quàm *mortuum*, ut piè speramus, *in Domino*, significet; hodiènum dicimus: *Höchst-seeligem Andern* *den* in nostrâ vernaculâ. Et verò ostendam tibi in hac bibliothecâ *MStum* unum, alterúmve, in quo *Gratianus monachus*, author *Decreti*, intituletur *Divus Gratianus.* Tales ergò minutias noli curare.

36. C. Pergit hìc *Honorius* ratiocinari, & quidem retinendo verba *Henrici* formalia: verùm, in quo stat vis, & intentio hujus argumenti? D. Confutatum it adversarios, dicendo, quòd *Justinianus* non intenderit sub lege suâ comprehendere clericos: quia voluit generaliter *canones vim legum habere.* Nov. 5. cap. 2. Nov. 6. in præfat. & cap. 1. §. 8. ibi: *ed quòd à precedentibus nos Imperatoribus, & à nobis ipsis, rectè dictum est, oportere sacras regulas pro legibus valere.* Nov. 42. in præfat. Nov. 83. cap. 1. ibi: *secundùm sacras, & divinas regulas,*  
quas

*quas etiam nostræ sequi non dedignantur leges.* Nov. 131.  
 cap. 1. Ergò & illos canones consistere voluit, qui cler-  
 icis juramenta prohibent: cujusmodi vide apud *Gra-*  
*tianum can. 1. 2. 3. II. q. 5. GLOSSA* quoque allegat  
*can. 4. II. q. 5. can. 3. XXII. q. 1. & can. ult. XXII.*  
*q. 5. Add. ibid. can. pen. & cap. 26. de jure jur.* Verùm  
 canon 3tius XXII. q. 1. *S. Augustini* est, non *regula Pa-*  
*trum*, insupérque nihil habet ad hanc rem: reliqui ca-  
 nones omnes sunt jura, *Marciano*, & *Justiniano* poste-  
 riora: unde non potuit *Marcianus* istos putâsse, dum in  
*l. 25. cit. ait: ecclesiasticis regulis, & canone, à beatis-*  
*simis Episcopis antiquitùs instituto, clerici jurare prohiben-*  
*tur:* pro cujus sententiæ explicatione dicendum videtur,  
 per *Ecclesiasticas regulas* *Marcianum* intellexisse aliquid  
 aliud, quàm *per canonem*; distinguit enim hunc ab illis, &  
*canonem* quidem *in numero singulari* vocat, *ecclesiasticas*  
 verò *regulas in plurali*: unde putem, intelligi *regulas*  
*Christi, & S. Jacobi Apostoli. Matth. V. vers. 34. Ego*  
*autem dico vobis, non jurare omninò. Sit autem sermo*  
*vester: est, est: non, non.* Confer. *Jacob. V. v. 12.*  
 Per *canonem* autem, antiquam *Patrum regulam*, sive  
 scriptam, sive traditam, quâ singulariter cavebatur, ne  
 clerici jurent: Sanè, fuisse jam primis quatuor sæculis hanc  
 in-

institutionem, innuit responsio *Basilii Seleuciæ* Episcopi, quam dedit in Concilio Cpolitano sub Flaviano contra Eutychem *Macedonio*, spectabili Tribuno, & Notario proferenti sanctum Evangelium, & Episcopos sub sacramento dicere jubenti, si veræ sint legendorum monumentorum professiones, ab utrâque parte illatæ: *hactenus juramentum Episcopis nescimus oblatum, sed est præceptum nobis à Domino Christo non jurandum.* HARDUIN. *Tom. II. Concil. pag. 178.* Sub idem imperantis *Marciani* tempus in Concilio *Chalcedonensi* act. 11. narravit *Cassianus* Presbyter, quid responderit *Stephano*, & *Mæonio*, dantibus sibi Evangelium, & conjurantibus eum, ut juraret communionem: *hodie 25. annis communico: & Deus est, qui novit, quia nunquam juravi alicui, & nunc, dum presbyter sum, cogitis me jurare?* Ibid. pag. 555.

37. C. *Ante Marcianum* ergò non potuisti mihi de hoc inhibente præcepto ullum canonem allegare, quàm *can. 1. 2. & 3. II. q. 5.?* D. Ità, non inveni alium scriptum: nisi fortè ex *canonibus Nicæni I. arabicis* 14tum apud HARDUIN. *Tom. I. Concil. pag. 514.*, qui Sacerdotem nec vult esse *juratorem, nec mendacem.* C. Allegas ergò *merces spurias pseudo-Isidori*: nam ipse dixisti in scholâ, quòd illæ duæ *Cornelii Papæ* epistolæ, quæ reperiuntur

tur in *Pseudo-Isidoro* ( Vid. *Harduin. Tom. I. Concil. pag. 131. & seqq.* ) non sint genuinæ : at citati à te canones omnes sunt *ex harum secundâ*, quæ inscribitur : *Epistola Cornelii Papæ, Rufo orientali Episcopo directâ, ne Sacerdotes Domini jurare præsumant, vel compellantur.* Hinc primùm *Burckardus*, & *Ivo*, deinde *Gratianus*, prædicta capitula sumpsferunt. D. En te Catum ; non putâssem ; nec refragor tibi ; itaque nec *Marcianus*, nec *Justinianus*, viderunt hunc canonem *Cornelii*, utpote modò Sæc. VIII. compositum ; benè verò illi, qui *novellam Henrici* conceperunt. Intereà tamen ex hâc *Cornelii* decretali, uttùt falsâ, perspicias, quòd *Sæculo VIII.*, quo falsæ decretales in orbem prodierunt, mos non fuerit clericis, jurare ; qui duravit adhuc *Sæculo XII.*, vindice ejusdem *Honorio* nostro contra plerosque dubitantes. Verisimiliter etiam verba illa : *ut nullus clericus jurare præsumat*, deflorata sunt ex *Burckardo lib. 2. cap. 188.*, quibusdam omiſſis.

38. C. Jam absolvimus *primam partem principalem* hujus capituli : nunc ad *secundam*. A versu : *prætereà usque ad delegare*. Hic putem inferi reliquum tenorem *novæ Constitutionis*. D. Rectè putas, & quidem à verbis, *nos itaque usque ad verbum delegare*. Reminiscere tamen eorum, quæ supra (*num. 12. lit. d. & e.*) monui, quibus

bus hîc addo, parenthesin hanc : *si expedire ecclesiæ suæ noverint*, adjectam fuisse ab *Honorio* : neque enim in *novâ constitutione* invenitur.

39. C. Sed, nunquid non etiam adjecit τὸ *calumniæ* in illo versiculo : *ut totus clericalis ordo à juramento calumniæ præstando immunis esse censeatur* ; quoniam novella *Henrici* hoc verbum non habet ? D. Adjecit, *explicationis gratiâ*, tum, quia propter juramentum calumniæ, à clericis detrectatum, exorta fuit controversia ; tum, quia regula interpretum, quam menti imprime, hæc est : *Clausula, sive expressio, generalis sequens restringitur ad rem, & causam prius specificatam, vel ad idem sic : species præcedens restringit genus sequens.* Textus notabiles in *l. 31. C. de transact. l. fin. §. 2. ff. de tritic. vin. leg. l. 47. §. 1. ff. de pact. l. 33. §. 1. ff. de legat. 2.* Quoniam itaque *Henrico* de juramento *Calumniæ* proposita fuerat quæstio, ejus quoque decisio pro immunitate venit intelligenda de juramento *calumniæ*, licet dixerit generaliter *de juramento* ; minimè tamen nocebit dicere, quòd de *omni jure jurando clericorum* senserit perinde, ùt de juramento *calumniæ* ; quia est eadem legis expressa ratio ; licet ultra hanc etiam quædam *specialior ratio* dari possit, cur magis prohibendum fuerit, ne à Clero exigatur *juramentum calumniæ*, nempè, quòd injuriosum

Clero effct, suspicari injustas lites, & cavillationes *indiscriminatim* de clericis.

40. Quid advertis in his verbis : *divinæ, & humanæ legis intentione servatâ*? C. Per *divinam* legem hîc non hæsito intelligere legem *canonicam*, per *humanam* verò legem *imperialem*, sicut in *capit. 5. de testam.* & adhuc clariùs in *cap. 2. de priv. in 6.* ubi : *vigeat studium juris divini, & humani, canonici videlicet, & civilis.* D. Magistralter : in textu te video esse verfatum : Adde ad probandam tuam interpretationem *Can. 1. dist. 10. Cap. 3. in fin. de testib. cog. cap. 18. de Simon., imò & Nov. 137. in præfat.* Quid observas porrò?

41. C. Monent ex prædictis verbis interpretes, *jura* apparenter *contraria* sic explicari debere, ut servetur *intentio* utriusque juris : *Cùm expediat concordare jura juribus, & eorum correctiones, si sustineri valeant, evitari.* cap. 29. de elect. in 6. D. Et hoc fiet, si in lege *contrariâ* non tam servetur *rigor verborum*, quàm *intentio* legislatoris : cùm secundùm B. *Gregorium* verba intentioni deserviant. *cap. 41. princ. de appellat.* Quod quidem *Glossæ* monitum huc quadrat, si *divinam* legem cum *l. 2. C. h. t.* comparemus ; tunc enim *verba generalia* *humanæ* videbantur nonnullis obstare dispositioni *legis divinæ* ; si verò legem *25. §. 2. C. de Episc.* cum  
lege

lege divinâ conferamus, non quadrat observatio : quoniam idipsum loquebatur utraque, ita, ut non fuerit opus laborare de concordantiâ, & dimissis alterius legis verbis servare intentionem utriusque.

42. C. Sed D. Böhmerus Senior in *Jur. eccles. Protestant. lib. 1. tit. 12. §. 21.* ait, Honorium hîc agere infelicem interpretem legis *Marciani*; eò quòd dicat 1.) constitutionem illam à *Marco Augusto Cpolitano* Præfecto Prætorio promulgatam, & 2.) ad clericos *Constantinopolitanos* restrictam fuisse, nec ad alios pertinere, quod utrumque falsum sit. D. Böhmerus Senior valdè indiscretus erat in taxandâ interpretatione RR. Pontificum: ubique conquirat, quod suggillet, quòque ipsos faciat in jure idiotas: cur propter *divum Marcum*, loco *Marciani*, nominatum, solus carpitur *Pontifex*? nōne prior in hoc lapsus est *Imperator*, cujus verba assumpsit *Pontifex*? Ad solos *Cpolitanos* clericos legem *Marciani* non restrinxit *Honorius*, imò declaravit juxta decisionem *Henrici*, eam ad omnium ecclesiarum clericos pertinere: sed hæc restrictio volebat fieri per nonnullos legis peritos: Sæpè capitula in parte narrativâ ponunt aliquid per modum objectionis, non per modum sententiæ propriæ ipsius Papæ narrantis.

43. C. Sed! quo pacto servatur intentio *divinæ & humanæ*

legis per hoc, quòd clericus non *compellatur* jurare, nisi etiam *prohibeatur* jurare? D. *Intentio* utriusque legis hæc est, ut clericus *passim* jurare prohibeatur, licet *verba* innuere videantur, eum *numquam* jurare debere. Secundùm hanc intentionem *Henricus*, & *Honorius* rectè cogitabant sic: *Qui passim jurare prohibentur, non debent generaliter, & indistinctim obligari ad juramentum calumniæ: Sed clerici passim jurare prohibentur: ergò non debent generaliter, & indistinctim obligari ad juramentum calumniæ.* C. Ergò saltem posset clericus, si *vellet*, jurare de calumniâ; quia solùm dicitur, eum non esse *compellendum*. D. Hoc non sequitur; quoniam *ideò* dicitur, eum non esse *compellendum*, quia *secundùm ecclesiasticas regulas passim jurare non potest*: ergò utrumque dicitur, nec posse, nec cogi debere.

44. C. Estne ergò juramentum *res mala*, ut clericus non juret licitè? Nónne est *actus religionis*, cujusmodi vel maximè decent clericos? Et, si *laicis* jurare liceat, quidni & *clericis*? cùm doctrina Evangelii de simplici sermone *per est, est: non, non*: tam fit pro *laicis*, quàm pro *clericis*. D. Absit dicere, quòd juramentum sit *res mala*; nam Deus, & Dominus noster, & ejus Apostolus, juraverunt: hinc *Matth. 5.* non dicitur: *quod his abundantius est, malum est, sed, à malo est.* Cap. 26.  
de



de jure jur. à malo, inquam, non tam culpæ, quam pœnæ, nec exhibentium, sed exigentium juramenta: malum hoc est infirmitas diffidentiae, & incredulitatis, cui medetur juramentum: id autem, quod non quaritur, nisi ad subveniendum infirmitati, vel defectui, non est per se appetendum, sicut constat in medicinâ. S. Thomas 2. 2. quæst. 89. art. 5. in ☉. Est quidem juramentum actus religionis, sed propter periculum casûs non appetendus, parcissimè exercendus. Hinc, quò religiosior est homo, eò magis vitat juramenta; cùm itaque clerici vitam religiosiorem profiteantur, quàm laici, illos decet adhuc rariùs jurare, quàm laicos. Equidem pro his quoque est doctrina Evangelii: nolite jurare; sed perfectiori modo observanda per clericos, tum, quia isti sunt magistri, & duces laicorum in viâ veritatis, ideòque decet ipsos haberi tam veraces, ut simplici eorum assertioni, ac promissioni credatur; tum quia secundùm Concil. Triburiense in can. 4. II. q. 5. nos clerici vicem discipulorum gerimus in ecclesiâ, quibus Dominus dixit: nolite jurare. Et, quoniam Episcopi vicem gerunt Apostolorum, voluit Synodus Regia Ticina anno 850. can. 4., ut ordinariè sermo illorum esset juxta Evangelium: est, est: non, non: siquid enixiùs affirmandum duræ forsitan audientium mentes exigant, voluit, ut more Apostolico sua dicta

dicta confirment hâc locutione: *Deus scit*, aut *coram Deo*. HARDUIN. *Tom. V. Concil. pag. 26.*

45. C. Ad verbum: *delegare* scrupus non mediocris pedem meum vexat: nam, sicut clerici prohibentur *personaliter jurare*, ita jubentur hoc officium aliis *delegare*. D. non *jubentur*, sed *permittuntur*, propter verbum: *liceat*. Arg. l. 40. ff. de judic. C. Non eximis per hoc scrupum: manet enim meum argumentum: *qui delegat alterum ad jurandum, ipse jurat; clericus non potest ipse jurare: ergò nec delegare*. Nonne enim, si juret defensor *ex delegatione clerici*, perinde est, ac si juraret ipse clericus? Nam qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per seipsum. R. §. 72. in 6., præsertim hîc, ubi procurator jurat *in animam sui principalis*, & propter hoc *speciali mandato* indiget. Sanè, si clericus non potest jurare *per se ipsum*, quâ ratione *delegabit* hoc alteri? Arg. R. §. 68. in 6.?
- D. Quamquam *Lex Justinianæa* non dederit *alternativam*, ut vel *persona principalis*, vel *ejus defensor*, juraret de calumnia; l. 2. princ. §. 3. C. h. t.; mos tamen successu temporis invaluisse videtur, ut *clerici* suis defensoribus *spontè* committerent præstationem hujus juramenti, utentes privilegio Sacerdotum apud Romanos, de quibus prætor dixerat: *Sacerdotem Vestalem: & Flammiam Dialectem in omni meâ jurisdictione jurare non cogam.*

A. GELL.

A. GELL. *noct. atticar. lib. X. cap. 15. in fin.*, hocque propterea, *quia hi jurare non poterant. LIV. lib. 3.*, quem refert integrali passu Gonzalez *in cap. fin. h. t. num. 7.* attamen licebat eis *assignare alium*, qui pro ipsis juraret. Sic & nostri clerici; quanquam ad neutrum tenerentur, quia *immunes simpliciter*, non *secundum quid*, & *certa duntaxat ratione*, declarabantur. Hoc more supposito utique nunc est magna difficultas, qualiter juraverit ille *defensor*, à clerico in hoc officium *delegatus*? Repetentes communiter tenent sic: aut ille *delegatus* erat *æconomus*, vel *syndicus* alicujus Collegii clericalis, & jurabat *in animam propriam. cap. 3. h. t.*, aut verò fuit *procurator alicujus clerici in particulari*, ejusque *causâ privatâ*, non *ecclesiæ*; & jurabat *in animam clerici*, indigebatque ad hoc *speciali mandato*. Sed non sapiunt mihi ista: nam 1.) Hi ipsi non loquuntur conformiter suæ explicationi; dicunt quippe, clericum *in causâ propriâ* litigantem compelli posse, ut *per se* juret: ergò non admitteretur procurator, ad jurandum *in animam sui principalis*. 2.) Clerici ita sunt ab hoc officio immunes, ut non compellantur *quâlibet ratione* hoc jusjurandum subire, imò *minimè* audeant jurare inconsulto Prælato suo; Sed, qui ita delegat, *ut alter juret in animam delegantis*, is certò *aliquâ*, imò *multâ*, & *fermè identicâ ratione*

jurat, nec verificat de se, quòd *minimè* juret. Nam, ùt ex *Cajetano* 2. 2. *quæst.* 98. *art.* 2. *ad* 4. docet venerab. SUAREZ *Tom.* 2. *de relig. lib.* 2. *de juram. cap.* 31. *num.* 4., in tali casu interveniret intentio jurandi *ex parte principalis*, & iste modus jurandi non excluderet, quin juramentum sit *actio personalis*: quamvis enim per alium loquatur, *ipse tamen mandans est, qui loquitur*; quia alius non loquitur, nisi *nomine ejus*, & parum ad *vinculum juramenti refert*, quòd instrumentum explicandi sit *propria lingua, vel aliena*. Nec ista *formalitas*, jurandi per ministerium alterius, sustulisset sufficienter scandalum per hoc, quòd non ipsimet clerici hâc viâ *tangerent Evangelia*, ùt plerique ratiocinantur; quia in *tactu illo corporali* non posuerunt canones suam rationem motivam, sed in hoc, quòd clerici verbum jam non ampliùs esset: *est, est, non, non*. Itaque sentio, verbum *delegare*, quo utitur textus, non significare hîc, *dare mandatum speciale jurandi in animam clerici*; sed *puram assignationem* alterius personæ, *quæ causam omninò non nesciat*, ùt loquitur *cap.* 3. *b. t.*, quæ post litis contestationem habeatur *pro domino litis*, jurétque in *animam propriam* de calumniâ: sicut disposuit postea *Bonifacius VIII.* de quibusvis procuratoribus, qui *post juramentum calumniæ*, à principalibus personis præstitum, depu-

deputan  
venit,  
rit, siv  
cur cali  
l. 2. §.  
qui,  
factus  
præstan  
quemad  
cantand  
nancur  
jurante  
mam su  
stinction  
beretur  
tutâ ac  
alium  
tisher  
quid.  
calum  
vice-ja  
le jura  
qui ide  
in deleg

deputantur. *Cap. 2. §. 1. h. t. in 6.* Ad idem quippe venit, siue pars principalis officium suum jam exsoluerit, siue immunis sit ab eodem persolvendo. Erit igitur talis defensor similis *curatori*, vice *sui adulti* juranti *l. 2. §. 2. C. h. t.*; clericus delegans autem similis *ei*, qui, cum nesciente domino, & ordinante, diaconus factus sit, præstat domino servum *vicarium* loco sui: nam præstans *vice sua servientem* non denominabitur *serviens*; quemadmodum nec illi domini de choro, qui officium cantandi, sibi incumbens, delegant vicariis, denominantur cantantes. Aliud ergo est, constituere *vicarium jurantem* loco sui, & aliud constituere *jurantem in animam suam*. Ad tuum perinde est, respondeo sub hâc distinctione: *quantum ad hoc, ut clericus diceretur, vel haberetur jurans N. quantum ad hoc, ne repellatur ab institutione actione C.* Inventa est igitur hæc ratio, delegandi alium jurantem, ne clericus juret, *quasi media*, ut satisfieret uni legi, & canoni *plenè*, alteri verò *secundum quid*. C. Quid ergo, si fortè iudex in fine æstimasset, *calumniam in lite fuisse*, in quem caderet perjurium? D. In *vice-jurantem*, non in *delegantem*; quia non hic, sed ille juravit; impossibile enim est, eum videri jurasse, qui idèò delegavit alium jurantem, ne ipse juraret. Nec in *delegationibus* id semper agere censetur *delegans*, quod

facit *delegatus*, ut constat ex *judicis delegati* actionibus, quæ non imputantur *judici deleganti*. Verbo: sicut *delegare* in materiâ *solutionis* est alium *reum solvendi* creditori dare *l. 11. ff. de novat.*; ita in præsentî materiâ *delegare* est *judici*, & *parti alium reum jurandi* dare.

46. D. Restat adhuc aliquid in hâc parte textûs nostri, super quo solent DD. hîc disceptare. C. Scio: propter verba: *seu criminali*, disputant, an etiam *in causâ criminali* veniat præstandum juramentum calumniæ? Et ego, salvo meliori, non hæsito, istud affirmare *de puncto juris*; quidquid dissuadeat *prudencia praxeos*, propter periculum perjurii. *Arg. cap. 3. de cohob. cler. & mulier.*
- D. Unde probas tuam resolutionem? C. Ex *l. 2. C. h. t.*, ejusque verbis: *in omnibus litibus*, & ex *Cap. præsentî*, cujus verba: *in causâ quâcumque, seu criminali, seu civili*, supponunt, non-exemptos *etiam in criminali* jurare debere. D. distinguo: *criminaliter intentatâ* N. *civiliter intentatâ* C. C. Contra est, mi Doctör, quòd hæc *distinctio restrictiva* fiat absque necessitate alicujus juris in contrarium urgentis; & *generalitas*, atque *proprietas* verborum servari debeat, quàm diu nihil est, quod cogat *restrictere*, & *impropriare*. *Arg. l. 8. ff. de public. in rem act. can. 13. XXXI. q. 1. cap. 2. de conjug. lepros. in fin. & l. 69. ff. de legat. 3.* Verba legum tantum valent, quan-

quantum valere possunt. *Arg. l. 1. §. 1. ff. de legat. præstand.* Et verò, si in causis *civilibus* proditum hoc est remedium, ut coërceantur *calumniæ*; quantò magis propter momentum rei in *criminalibus*, ubi sæpè dantur *calumniatores*? D. Calumniatores in criminalibus satis coërcentur *per pœnam talionis*, in quam accusatores sese debent inscribere. C. Hæc ipsa pœna, quam timent hi, nisi probaverint illatum crimen, ansam eis præbet *calumniandi*, falsasque probationes pro veris inducendi; & sic regula tenebit: *ubi periculum majus intenditur, ibi procul dubio est plenius consulendum.* cap. 3. de elect. in 6.; ut sacramenti timore calumnia compescatur. D. Sed obstat, quòd in causâ criminali *criminaliter intentatâ* non agatur *per procuratorem* cap. 15. de accus. Atqui cap. 1. *h. t.* dicit, delegari posse ad jurandum vice clerici procuratores: ergò non loquitur de causâ criminaliter intentatâ. C. In causâ criminali *criminaliter intentatâ* regulariter non admittitur procurator, qui *loco non-comparentis* agat, vel defendat: admittuntur tamen advocati, defensores, & procuratores *juxta principalem partem* in jure comparentem: & talibus poterit clericus officium jurandi delegare. Alii dicunt, de *foro canonico*, ubi non infligitur pœna sanguinis, procedere cap. 1.; non autem *de foro civili.* Sed refelluntur; quia non solus

*Honorius* dixit : *in causâ criminali* , sed etiam *Henricus* Imperator , qui tamen non tulit ordinationem pro *judiciis canonicis* , utpote ad eum nihil pertinentibus. D. Perquam benè solvis , & arguis. Sed adhuc unum : Quo ad juramentum calumniæ aëtor , & reus non debent ad imparia judicari. *Arg. l. 2. C. h. t. ibi : neque aëtorem , neque fugientem* , id est reum. Sed *reus* in causâ criminali non tenetur ad juramentum calumniæ : ergò neque aëtor , sive *accusator*. C. *Nego min.* , nam & in *accusato* periculum calumniæ est , puta e. g. , quòd frivolâ objectione *majoris criminis* vellet repellere accusatorem ; quòd corrumpere judicem ; quòd litis tardandæ causâ frustratorias dilationes peteret , vel exceptiones pœnæ dilatorias proponeret ; quòd pro innocentia suâ subornaret falsos testes , & sic accusatori malam rem calumniosè faceretur , procurando ei constitutam legibus talionem. D. Hæc satis justificant tuam negationem : putas igitur cum *Panormitano* hîc §. *Quæro* , etiam *accusati* conscientiam timore hujus juramenti commovendam esse , ne simul perdat corpus , & animam : *quantò enim quis morti vicinior efficitur , tantò fieri timidior debet.* can. 24. dist. 86. Sed contra est. 1.) Quia periculosa est hæc , ut ipse insinuasti , ad jurandum compulsio ejus , qui est in angustiis. 2.) Accusato licet in capitalibus criminali-



minibus, quæ pœnam mortis continent, qualiter qualiter sanguinem suum redemptum velle. l. 1. ff. de bon. eor. qui, & ideò non tantùm permissum est ei transigere l. 18. de transact.; sed etiam adversarium corrumpere l. 1. cit., & sicut ajunt veteres, mentiri: ergò & calumniari. C. Respondeo ad 1.) retorquendo: ergò nec in causâ civili arduâ, cùm agitur de existimatione hominis, vel de majore parte bonorum ejus, cogetur quis jurare de calumniâ; nam & homines pro talibus non amittendis pejerant: item, ergò neque deferetur alicui juramentum expurgationis, contra tot canones: item, ergò neque reus angariabitur juramento de veritate dicendâ, contra Cap. 18. de accusat. Ad 2.) Nec corrumpere adversarium positivè licet, nec mentiri, ad redimendum suum sanguinem; sed lex cit. dicit, ignoscendum esse, non nocere; intellige coram judicibus sæculi: ex istis tamen non sequitur, posse accusatum calumniosis modis se defendere. D. Quàm optimè. C. Haçtenùs in theoriâ fui, nunc cuperem à te nôsse quoad hoc practicam. D. Evolvamus J. Clarum lib. 5. §. pract. crim. quæst. 18. num. 3. Apud hunc ex antiquis testatur Bartolus in l. 1. C. h. t. num. 6., quòd suo ævo secundùm communem usum Italiæ accusator tenebatur jurare tempore, quo offertur libellus, quòd accusatio est vera, & quòd non animo calumniandi

hoc

hoc faciat. *Cuarez in libr. repetit. fol. 845. num. 16.* dicit, quòd *stylus Hispaniæ* in hoc concordat *cum stylo Italiæ*. Hanc etiam dicit esse *communem practicam*, & consuetudinem *Curt. Sen. de jur. calumn. in princ. num. 2.* Sed prædictus *J. Clarus*, praxeos Italiæ, & Hispaniæ expertus, ait: *Certè hoc apud nos hodie non servatur in practicâ; prout etiam nunquam se vidisse illud observari, nisi petente adversario, attestatur Foller in pract. crim. canon. fol. 50. num. 51.* De Gallia testatur *Hericourt in Analyfi Decretal. ad. b. t.*, quòd in nullo tribunali Gallicano, sive ecclesiastico, sive regio, ampliùs practice tur hoc juramentum: quod benè fit; docet enim experientia, quàm exiguam virtutem retinuerit ad percellendas hominum conscientias, qui de facili sibi formant dictamen practicum favorabile. De nostrâ Germaniâ satis innuit *Specul. Saxon. lib. 3. art. 88.*, simile quid contra calumniam jurâsse accusatorem: *factâ autem positione actor priùs jurare debet, eum facti reum esse, pro quo passus est proscriptionem.* Sed hodie in criminalibus eo juramento non utimur, ut ut frequentetur in civilibus, in utroque foro. Nam multis in locis proceditur contra malefactores *per viam inquisitionis*, in quâ per se cessat hoc jus jurandum ex parte accusatoris. Reo autem solemus dissimulare juramentum tam *calumniæ*, quàm

de

*de veritate dicendâ*, quorum postremum ex antiquâ praxi hodiernum solent ab inquisitis exigere *sancta Sacrae Inquisitionis officia*: Quibus verò in locis contra malefactores proceditur *per viam accusationis*, hæc fit *ex officio per procuratorem fisci*, qui *de praxi* non jurat propter calumniam; quamvis *de jure* non eximatur ullibi.

47. Demùm ex hoc versu colligunt DD. cum *Panormitano*, nomine *clericorum* venire etiam *personas religiosas*, *utriusque sexûs*, tamen si clericali tonsurâ careant: quoniam verbum *clerici*, quod solùm est in lege *Marciani*, tam *Henricus*, quàm *Honorius*, sic per enumerationem personarum exposuerunt: *non abbas, non monachus, vel sanctimonialis &c.* D. Hoc verum est, idque non solùm in *materiâ favorabili* privilegiorum clericalium, sicut plerique ponunt regulam; sed etiam in *materia disciplinæ clericalis*, quæ magis, aut saltem non minùs, decet quoscunque religiosos; nam hîc non tam agebatur *principaliter* de puncto aliquo *favorabili* privilegii, & immunitatis à jurandi necessitate, velut ex prærogativâ dignitatis, quàm de *disciplinæ christianæ* perfectione, prohibente, ne passim, ac sæpè jurent clerici; quod probat textus in cap. 26. de jure jur. ibi: *licet ergò debeat esse viri perfecti, ut, quantum potestis, juramenti vinculum evitetis.* Sed perge nunc ad versum penultimum.

48. C. Ex hoc versu sequitur, quòd *Honorius* censuerit, aliquando Episcopis, & clericis iuramenta permitti posse. D. Profectò; nimirum, *cùm necessitas exigit, pro re verâ, licitâ, & honestâ possunt securè jurare.* dict. cap. 26. Iuramenta quippe sunt de numero eorum, *quæ prohibentur diutaxat ex causa*, non, quia per se mala sunt, sed, *quia, si fiant frequenter, & multum, ex his mala sequuntur, ut ex vino.* cit. cap. C. Tunc autem censeo clericis permitti posse, ut jurent, *si expedire ecclesiæ suæ noverint.* cap. 1. h. t. D. Non, sed hæc parenthesis, sive *conditio moderans* referri debet ad *prudentiam Rectorum*, ut judicent, atque dignoscant, an, *si causa ecclesiæ suæ vertatur*, consultum sit, eandem *per se* agere, non *jurando*, an verò *advocato*, seu *defensori ecclesiæ*, commendare, *delegando* ipsi officium jurandi: erat nempè *aliquid periculi* in hâc substitutione *alterius personæ*, tum, si hæc minùs diligenter, aut minùs fideliter litem ecclesiæ curaret, aut, sicut ait *Durandus in Speculo*, si procurator ecclesiæ esset *truffator*; quo suspicionis casu præstaret agere Prælatum; tum, si defensor jurare nollet, prætexens, causam ecclesiæ sibi non videri justam: hinc opus deliberatione. Atque utinam gustarent istud ecclesiarum, ac monasteriorum Prælati, considerantes apud se, *an suis ecclesiis expediat, causas earum omnes, easque*  
*sepe*

*ſæpè graviffimas, confidi ſolis ſuis advocatis?* An magis non præſtet, providere, ut ſint ſemper *docti in jure filii de monaſterio*, qui, cùm ejus expoſcit utilitas, forenſium ſuæ domûs negotiorum, ſi non *publici ſuſceptores, & executores*, ſaltem *domeſtici conſultores, ſeduli coadjutores, & cumulativi intendentes*, quid agant, & qualiter reſgerant extranei ſyndici, *Abbate imperante*, exiſtant; quorum utrumque permittit *can. 35. XVI. q. 1. C.* Audivi aliquoties de hoc diſcurri: ſed quidam de conventibus non capiunt verbum hoc; ajunt enim, ſtudiis juridicis ſpiritum religioſi nimis diſſipari; educari inquietos, & litium domeſticarum ſeminatores; periculum eſſe Abbatibus ipſis à monacho jurium perito; *B. Gregorii* ſtudium fuiſſe, à litigiis forenſibus monachos ſubmovere, dicendo: *expedit pro parvo incommodo* (ſalarii, quod dandum eſt ſyndico extraneo) *à ſtrepitu cauſarum ſervos Dei eſſe quietos.* cap. un. de Synd. D. Servatis ſervandis, & ſelectis ad hoc opus ſeligendis, nihil erit incommodi, ſi religioſi applicent ſe ad ſtudium juris præcticum: quot non erant viri pii, ac religioſi, qui juris arti vacabant? Nónne *Regino Prumiensis, & Gratianus*, optimæ converſationis monachi fuerunt? Nónne *S. Raymundus* religioſus? Nónne ipſemet *S. Gregorius M.*, juris civilis doctiſſimus, fuit *Benedictinus*? Nónne *Molina, Leſſius,*

*Laymannus* pii, & quieti *Jesuitæ*? Agere *cellerarium*, *culinarium*, *exceptorem hospitum*, non dissipat spiritum religiosum; studere autem *juri* in solitudine cellæ dissipet? In strepitum causarum, *neglectis officiis regularibus*, se totos effundere, utique *Servis Dei*, & animabus virorum religiosorum, non expedit; sed istud non intenditur: sint juxta *cit. cap. un.* extranei *Fausti*, qui dicasteria pro monachis adeant; sed & sint monachi, qui sollicitè *Faustis* advigilent. Verùm hæc per parenthesis, quoniam textus dedit occasionem, hoc tangendi: perge.

49. C. Vult *Honorius*, Episcopum, per se juraturum, priùs *pro consilio* debere accedere *Romanum Pontificem*: hoc *reservatum est de novis*; neque enim legas de eo quidquam *in anterioribus decretalibus*; est prætereà impracticabile, nisi fortè *Episcopi Romæ* sint *viciniores*, ut putat *Goffredus.D.* Erat novum *reservatum*; quia *mos* quoque *novus* fuisset, ut aliquis *Episcopus* de *calumnia* juraret *in persona propria*, & quidem stans humiliter *coram judice sæculari* sedente: facit ergò majorem difficultatem hìc *conditio personæ*, ejusdémque *duplicis*, nempe *judicis laici*, cui juratur, & *Episcopi*, qui jurat. Ob primam conditionem statuit *Can. 22. XXII. q. 5.*, quem *Gratianus Concilio Rhemensis* tribuit, quanquam in nullo eorum

eorum fit repertus, ut nullus ex ecclesiastico ordine cuiquam laico quidquam super sacro-sancta Evangelia jurare præsumat, sed simpliciter cum veritate, & puritate dicat: est, est: non, non. Ob secundam verò conditionem rarissimè hoc faciet Episcopus: nam aliqui impediuntur à juramento, quia sunt majoris dignitatis, quàm, quòd eos jurare deceat, inquit S. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 10. ad 3. & ibid. in 0. Aliud autem est considerandum ex parte hominis, cuius dictum juramento confirmatur: non enim indiget dictum hominis confirmatione, nisi, quia de eo dubitatur: hoc autem derogat dignitati personæ, ut dubitetur de veritate eorum, quæ dicit: & idè personis magnæ dignitatis non convenit jurare: propter quod dicitur II. q. 5. cap. Siquis Presbyter, quòd Sacerdotes ex levi causa jurare non debent. Quòd autem rariùs certæ quedam indecentes res fierent, idè introducta sunt reservata Papalia, ut patet in dispensatione super publicis irregularitatibus, & impedimentis matrimonii, item in pluralitate beneficiorum residentialium, & translatione Episcoporum. Certè, nisi hoc reservatum esset, breve post tempus Episcopi passim jurarent, etiam coram laicis, propter plurima, quæ apud ipsos Episcopis instant, negotia. Custodiri autem voluit Honorius istud non à folis Episcopis curiæ vicinis, sed ab omnibus, ad quos scripsit, nempe totius Occidentis.

tis. Num. 6. In *remotioribus* ipsa difficultas, Romam pro habendâ licentiâ recurrenti, favebit intento Papæ, quod erat, *ut quàm rarissimè juret Episcopus*; sicut difficultas, quam fecit in simili *Extrav. ambitiosæ de reb. eccles. non alien. int. com.*, prodest, ne res Ecclesiarum tam facilè alienentur.

50. C. *Van-ESPEN* in *can. 22. XXII. q. 5.* scribit, clausulam Glossæ: *nisi hoc fiat auctoritate Papæ, sapere falsas decretales*; éstne hoc verum? D. Non video: nihil enim est de hoc reservato in *supposititiâ decretali Cornelii Papæ*: Sed Glossa, per *Gratianum* decepta, adjecit hanc clausulam, ut solveret difficilem canonem *7. II. q. 5.*, sicut probat ejus allegatio. Iste *Lovaniensis Doctor* nimis fuit liberalis in derivando scita canonica ex falsis decretalibus.
51. C. Videtur autem errâsse hæc Glossa, dum generalitèr requisivit *auctoritatem Papæ* ad hoc, ut *quilibet clericus juret laico*; nam *cap. 1. h. t.* requirit solummodò, ne hoc fieret *inconsulto Prælato* clerici: D. Hoc rectè advertis: sicut quoque non placet, quòd Glossa *cit. canonem 22.* restringat solummodò ad juramentum *expurgationis*, putans, quòd, *si clericus peteret aliquid coram laico, benè teneretur ibi præstare juramentum calumniæ*; nam textus ait: *quidquam jurare: ergò neque, se non calumniari*: item, *si est aliquid, quod sibi objiciatur, co-*  
ram



ram iudice ecclesiastico *expurgetur* : ergò etiam, si clerico actori coram sæculari iudice objiciatur *calumnia*, hæc ad summum coram *iudice ecclesiastico* per juramentum calumniæ expurgaretur : Item : coram laico clericus non debet aliud dicere, quàm *est, est, non, non* : quomodo ergò jurabit de calumniâ ?

52. C. Quis est iste *Prælat*us, quem consulere priùs debet clericus, quàm juret ? D. Non præcisè *Episcopus*, aliàs, ubi *Honorius* posuit : *Prælat*o suo, posuisset : *Episcopo suo*. Arg. cap. 12. de *decim*. Ita plerique cum *Innocentio*, *Immola*, & *Butrio*. Igitur consulatur *immediatus* juraturi clerici, vel monachi, *Superior* ; quo nomine etiam venient *Plebani propriè tales*, Arg. cap. ult. in fin. *ne cler. vel monach.* junct. cap. 1. in fin. eod. in 6. Et sic monachus consulat *Abbatem*, *Abbas*, si *exemptus* fuerit, *Papam* ; si *non-exemptus*, *Præsidem congregationis suæ* ; si non sit de congregatione aliquâ, suum *Episcopum* ; *Canonicus*, vel *Vicarius Collegiætæ Ecclesiæ* suum *Decanum*, *Decanus Episcopum* : *Parochus* suum *Archidiaconum*, si hic de consuetudine habeat illi imperare, secùs *Episcopum*, sive ejus *Vicarium generalem* ; *Altrista beneficiatus* suum *plebanum* : C. *Sanctimonialis* ergò consulat suam *Abbatissam* ! D. Possèt hoc subtili ratione videri ; quia sicut in hoc cap. sub nomine *clerici*

ve-

venit *Sanctimonialis*; ita quoque sub nomine *Praelati* veniet *Abbatissa*: nam sub masculino continetur etiam *fœmininum*. l. 1. ff. de *V. S.* § l. 45. ff. de *legat.* 2. Quoniam verò agitur hîc *de re graviore*, & *quæ consilium fœminæ transcendit*; sic rem fore temperandam existimo, ut *Abbatissa* sibi adjungat virum gravem ordinis ecclesiastici, qui jurium sit peritus, unâque cum isto exploret *monialis suæ conscientiam*, & *causam*; quatenus vel permittat eam jurare, vel inhibeat. C. An clericus consulens tenetur etiam *sequi consilium* sui *Praelati*, si dissuaderet hic ipsi juramentum? Sæpè enim canones jubent *exquiri consilium*, sine obligatione *sequendi*: cap. 7. de *arbitr.* Cap. 52. & ibi DD. de *elect.* D. Tenetur; cùm *Praelatus*, videns, periculum perjurii, vel scandali, aut opprobrii suæ ecclesiæ, esse subextiturum, possit sub *obedienciâ canonicâ*, vel *regulari*, inhibere juramentum: unde DD. communiter verba illa *inconsulto praelato* intelligunt de *positivâ necessitate præviæ licentiæ*; Et *Baldus* hîc tradit bonam regulam: *ubi requiritur consilium Superioris, ibi ejus permissio desideratur*. Juramentum tamen, contra voluntatem *praelati* emissum, valeret; quia subditus peccaret duntaxat *quoad modum*. C. An hæc necessitas licentiæ intelligitur *de omni casu*, quo juratum it clericus, an verò tantum, cùm jurare vult *coram judice seculi*

*ſæculari* ? D. Tanto major erit hæc neceſſitas, quando *coram iudice ſæculari* : propter *ſingularem indecentiam*, quæ comitatur exactionem juramenti à clerico per virum ſæcularem, cum tali humiliatione. Multi equidem de antiquis credunt, *Honorium* præcipere conſultationem proprii Prælati, tunc demùm, quando clericus vult jurare *coram iudice ſæculari* : ſed *menti Honorii* conformius eſt, eandem licentiam requiri, ſi vellet clericus *personaliter* jurare *coram iudice eccleſiaſtico* ( ſive *ſuo*, ſive *non ſuo*, nihil refert ) quia generalis ratio decidendi erat, *ne tam frequenter jurarent clerici* : voluitque Honorius conſervare *antiquos canones*, qui non tantùm *coram laico*, ſed etiam *ſimpliciter* nolebant, clericos de levi jurare. Nec eo ipſo, quòd à prælato ſuo acceperit licentiam *litigandi*, clericus absque ulteriore conſulto *jurare* poterit ; cùm ſint diverſa, *litigare*, & *jurare*, primùmque ſine ſecundo explicari queat ; aliàs Ss. Canones dando clericis facultatem *litigandi*, dediffent eo ipſo licentiam *jurandi*, quòd absurdum eſſet dicere.

53. C. Quam verò regulam tenebo, *affirmativam*, vel *negativam* ? Quidam dicunt, clericum non poſſe ſine ſui prælati licentiâ *jurare*, niſi *authoritatem*, vel *neceſſitatem jurandi expreſſè à jure canonico habeat* : alii verò cum *Panormitano* ſuſtinent, quòd, *juſtâ cauſâ exigente*, vel *ſub-*  
I
*exiſtente*

*existente, possit clericus sine Superioris licentiâ omne juramentum præstare, nisi expressè à jure prohibeatur. D. Noli sentire cum Panormitano; neque enim clericis juramentum est de genere permissorum, ut ipse dicit: sed regula ecclesiastica est, clericum non debere jurare: ab hac exceptio fit, nisi, cum canon id expressè permittit, e. g. ut clericus juret Imperatori fidelitatem. Glossa in cap. 22. XXII. q. 5. aut, cum canon planè adstringit clericum ad jurandum, e. g. ut se purget super diffamatione: can. 5. § 16. II. q. 5. ut Archi-Episcopus ante receptionem Pallii juret Summo Pontifici. Cap. 4. de elect. Quotiens igitur relaxandum est aliquid de regulâ non jurandi, hoc vel canon aliquis expressus faciet, aut expressa licentia Superioris ecclesiastici, sub cujus obedientiâ aliàs vivit clericus. Sic evitantur prolixæ involutiones, quas hic faciunt antiqui. C. Tenes ergò, quòd non solum tunc requiratur licentia Prælati, cum juramentum calumniæ generale præstandum esset, sed etiam, dum quævis alia juramenta, quæ in jure non permittuntur, vel præcipiuntur expressè. D. Ita, hoc teneo, & dico cum Hostiensi, hanc constitutionem largè loqui de quolibet juramento; quia, quod hic de juramento calumniæ disponitur, provenit ex regulâ prohibitivâ generali, quam nemo, nisi vel ipse canon, vel prælatus, clerico relaxare*

xare potest. Igitur nec sine licentiâ poterit clericus per se præstare *juramentum malitiæ*, quod vocatur *speciale calumniæ*, nec *suppletorium*, nec *purgatorium simplex*, sive *minus solenne*, nec *judiciale*, nec *voluntarium*.

54. C. Denique dicas mihi, an debeat clericus etiam habere licentiam sui Prælati, si *deleget* officium jurandi idoneo advocato? D. distingue, si *deleget*, ut supra ( Num. 45.) eum posse delegare explicavi, nega; quia tunc clericus minimè intelligitur jurare, sed alius vice ejus: si verò ita *deleget*, ut alter juret *in animam delegantis*, concede; quia ipse clericus tunc verè jurat, suamque animam obligat; sicut is, qui per procuratorem contrahit, verè contrahit. *Grannamieto ad h. t. num. 11. in fin. A. de Butrio hinc num. 28.* ubi tamen subjungit, hoc non fervari; quia una causa, quare non compellitur clericus jurare, est, quia error quidam videtur, videre jurare clericum, quæ causa cesset, si delegetur alius jurans in animam clerici.

55. C. Tandem est versus ultimus: *omnibus autem. D.* Col- lige ex magnitudine pænæ quantitatem excessûs; si quis clericus *inconsulto prælato suo* juraret, compulsus, vel incompulsus, de calumniâ, aut aliàs, *veniam sibi deinceps noverit denegari*. C. Puto, quòd Dominus Papa studiosè irremissibilitatem pænæ apposuerit, ut clericus haberet

eò meliorem excusationem , si urgeretur à iudicibus , maximè *secularibus* , ad jurandum , dicendo : *libenter vellem , sed puniret à Domino Papá , si jurarem , sine veniá* : & sic non poterant iudices eos afficere pœnâ nolentium jurare de calumniâ : *cùm enim non stat per eum , ad quem pertinet , quò minùs conditio impleatur , haberi debet perinde , ac si impleta fuisset*. R. J. 66. in 6. D. Potest esse : neque enim ego credo , quod ipsi clerici valdè proclives fuerint ad jurandum de calumniâ , ut *propter eos coërcendos* hæc clausula pœnalis debuerit adijci : ergò *propter iudices* videtur adjecta esse ; ne post-hac compellerent illos , quibus , nequidem volentibus , licet jurare absque licentiâ. C. Sed quomodo punirentur transgressores ? D. Pœna non exprimitur , neque h'c , neque alibi in canonibus : itaque *arbitrio Papæ* reservatur : Episcopus potuisset puniri interdicto ingressûs in Ecclesiam : Abbas suspensione ab administratione : clericus suspensione ab ordine , aut ab officio , & beneficio , secundùm ordinarias regulas de quantitate pœnarum.

*Cætera dabuntur in primâ disputatione post ferias.*



## EX JURE GENTIUM.

*Textus.*

*Pro delicto habetur , quod dominus eâ mente abjecit , ut id in numero rerum suarum esse nolit. §. 47. Inst. de R. D.*

## Scholion.

- I. *Abjicere* dicit aliquod factum domini; quò etiam pertinet *desertio* rei immobilis.
- II. Itaque *sine facto domini* res ejus videri non potest *derelicta*. Arg. l. 11. ff. de R. J.
- III. Hoc factum vel est *sponte volentis*, vel *inviti*, ac *dolentis jacturam*. Arg. l. 43. §. 10. & 11. ff. de furt.
- IV. Primum inducit justam *derelictionis* fidem; non secundum, licet abjiciens desperet copiam recuperandi.
- V. In eadem mente benè stant simul, *impossibilitas*, ut ipse dominus recuperet abjectum, & *retentio domini* cum desiderio recuperandæ possessionis.

*Casuum ex his principiis resolutio.*

- Ex 1mo, 2do, 3to, 4to
- a.) Quæ de rhedâ currente non-intelligentibus dominis cadunt, non sunt habenda pro derelictis. §. ult. *Inst. de R. D.*, nec
  - b.) Ligna, quæ vi aquarum longiùs abripiuntur. Arg. l. 8. §. ult. ff. *famil. ercis.*,
  - & c.) Porcus faucibus lupi à venatore ereptus, licet aliàs eum nunquam recuperaturus fuisset dominus. l. 44. ff. *de A. R. D.*
- Ampliatio.* Hæc vera sunt, quamvisprehendens talia ignoraret, cujus sint. l. 43. §. 5. ff. *de furt.*
- a.) Machinæ bellicæ, & horrea annonaria, quæ hoste imminente ab exercitu deseruntur, non fiunt alterius occupantis, quàm ipsiusmet hostis.
  - b.) Quæ *destruendi animo* projiciuntur in flumen, aut flammis committuntur, ut sæpè fit in bellis, sunt cujusvis primò capientis:
  - c.) Non autem, quæ solius navis levandæ causâ. l. 9. §. ult. ff. *de A. R. D.* l. 1. §. 8. l. 8. ff. *de leg. Rbod.* l. 7. ff. *pro derelict.*

Excipe. Nisi talia fuerint, quæ dominus scit *statim ex ipsâ projectione fore peritura*. l. 43. §. 11. ff. *de furt.*

d.) Propter hoc solum, quod dominus res naufragas, non nisi *maximo periculo*, aut *sumptibus rei æstimationem æquantibus*, recuperare potuisset, non debet concludi ad animum derelinquendi.

### EX JURE CANONICO.

Ad Tit. XXV. lib. II.

Excipiens non videtur fateri ea, quæ logicè includuntur in exceptione. *Cap. 6. b. t.*

Ad Tit. XXVI.

Præscriptio obligationis *faciendi* non procedit cum malâ fide; secus est in obligatione *patiendi*.

Ad Tit. XXVII.

Privata scientia non potest movere judicem, ut *secundum eam* pronunciet, impedit tamen, quò minus falsæ probationes animum ejus moveant ad pronuntiandum *secundum illas*, sive in civili, sive in criminali causâ, sive res sit magni, sive parvi momenti.

Ad Tit. XXVIII.

Clausula: *appellatione remotâ*, si de facto constiterit, removet etiam *probabilem* appellationem, & generaliter *omnem*, quæ à jure non *indulgetur expressè*. cap. 53. h. t.

Ad Tit. XXIX.

Beneficium, *clericis* peregrinantibus hîc concessum, competit etiam *laicis*.

Ad Tit. ult.

Si confirmatio detur *in formâ communi*, particula *sicut* importat *conditionem*, sine quâ non: si autem in formâ *specificâ*, idem vult, ac *quia*.

### Casus Canonicus.

Episcopus Germaniæ sine consensu Capituli territorium, sibi cum



altero pro indiviso commune, dividit, ipsamque divisionem adimplet: deinde facti pœnitens, possessore condidente invito, violentâ manu, redit in pristinam communionem. Q. an possessori, si constet de solemnitatis canonicæ defectu, dandum sit mandatum S. C.? R. Negativè.

EX JURE CIVILI.

Ad Tit. VIII. lib. IV.

Noxalis actio, quæ semel *intercidit*, mutatâ intercidentiæ causâ non *reviviscit*.

Ad Tit. IX.

Quòd dominus innocens ex noxiâ servi conveniri potuerit, *sola lex* pro ratione erat, non æquè, quòd *propter pauperiem* sui animalis.

Ad Tit. X.

Syndicus pro populo acturus ut constituatur, requiritur, *præsentes esse duas* populi *tertias*; sufficiunt autem *majora vota*: illas suâ personâ, non hæc suo assensu, complere potest is, qui eligitur.

Ad Tit. XI.

Magis cavere deberet in judicio *reus*, quàm *actor*; & ideò nullius rei exceptio *dilatoria de cautione expensarum* priùs præstandâ audiri deberet, nisi & ipse cavisset *judicio sisti, & judicatum solvi*.

Ad Tit. XII.

Cur Actiones prætoricæ duntaxat anno vivant, infirma princ. h. t. ratio redditur hæc: *nam & ipse prætoris intra annum erat imperium*: confutatur enim ex aliis verbis ipsiusmet hujus textûs.

Casus Civilis.

Titio legantur dena *in annos singulos*: Cajo dena *usque ad annos decem*: uterque moritur initio anni, & quidem Cajo septimi, quaeritur an, & quid hæredes eorum rectè petant? R. Titii hæredes rectè petent etiam *antè anni decursum* dena postremi anni,

& quæ fortè restant ab annis præteritis: Caji verò futurorum adhuc trium annorum pensiones, sed non aliter, quàm expleto quoque anno.

*Ex jure publico.*

Ad *Sacerdotes* Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad *seculi potestates*. Can. 11. dist. 96. Hinc jus sacerdotum penes Principes sæculares non est.

*Ex jure feudali.*

Jus revocandi feudum ex capite successione contra *agnatum* remotiorem exercebitur intrà annum utilem, contra *extraneum* saltem intrà 30. annos.

*Ex jure criminali.*

Clericus contra clericum *jussus dicere testimonium*, nec se *sponte offerens* testificationi, non efficitur irregularis, etiamsi mortis pcena consequeretur.

*Ex jure Statutario Trevirensi.*

Hoc jure utimur, ut *exactioni* præteritarum præstationum annuarum præscribatur 30. annis, ipsi autem *juri exigendi* eas in futurum 40. annis. *Land-Recht* tit. 21. §. 5.

*Historicum.*

Tempore Nicæni Concilii summa Ecclesiæ divisio erat in *orientalem*, & *occidentalem*; orientalis dispartita fuit in *duos Patriarchatus*, videlicet *Antiochenum*, & *Alexandrinum*; quorum prior 15., posterior 9. continebat provincias. Occidentalis pars *unum duntaxat* habuit *Patriarcham*, videlicet *Romanum Pontificem*: qui *sub solo hoc respectu* cum duobus orientalibus Patriarchis condidit orbem Catholicum, & more parili normavit in *can. 6. dist. 65.* jura illorum in Metropolitas, & Episcopos.

I. O. G. D

ninus scit statim ex ipiāp  
 ff. de furt.  
 nus res mufragas, non rā  
 rei aestimationem equantur  
 concludi ad animum dero  
 ONICO.  
 lib. II.  
 logicè includuntur in exo  
 VI.  
 procedit cum malā fide; se  
 II.  
 em, ut secundūm com pre  
 falsæ probationes animam  
 dām illas, sive in civil  
 agni, sive parvi momenti  
 II.  
 confiterit, remover etiam  
 ex omnem, quæ à jure no  
 concessum, competit etiam  
 t.  
 uni, particula sicut impor  
 m in formā specificā, idem  
 tuli territorium, sibi cura

